NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA
VITT. EMAN. II
204
3 B
4
ROMA

204. 3. [illegible] 11

Alessandria 1539.


Digitized by Google

Digitized by Google

SILVESTRI PETRASANCTÆ
ROMANI
SOC. IESV THEOLOGI

NOTAE
IN EPISTOLAM
PETRI MOLINÆI
AD BALZACVM,

Cum Reſponſione ad hæreſes, errores
& calumnias eius,
ac Vindicijs Vrbis ROMAE,
& PONTIFICIS ROMANI.



ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIV.

204.3.B.4
Pert. ad Bibliotecam S. Sebastiani

ILLVSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
CLEMENTI
BONSIO
EPISCOPO
BITERRENSI.

SVPERIORE æſtate, ILLVSTR^{ME} PRÆSVL, in eo eram Eburonum agro, quem Nationes frequentant, vt ad perennitatem fontium ſaluberrimorum diſcutiant corporum vitia: compos tamen valetudinis, & comes dumtaxat alienæ, ſeu neceſſitatis, ſeu relaxationis, vtebar otio,

vt aliqua ſcriberem, ſi quo modo iis poſſem Petri Molinæi diu ægrum animum ſanare. Quod verò rudi Mineruâ concepit interim animus, id cum coloribus & ſub auſpiciis iam Tuis prodit vel ideò, quia monumentum aliquod Gentis BONSIÆ nobiliſſimæ frequenter ibi obuerſabatur oculis meis; atque imbuens me Tui recordatione iucundiſſimâ, hunc ipſum fetum animi veluti colorabat. Erat videlicet, in ſpeculari feneſtrâ Ædis ſacræ Vici Spadani, icon teſſeraria Gentis Tuæ; hoc eſt, Rota aurea in ſcuto cyaneo, cum nomine glorioſo IOANNIS BONSII Epiſcopi Biterrenſis, S.R.E. Cardinalis, Patrui Tui, velut index liberalitatis eius. Sed & tunc, quia monu-

numentum illud vitreum erat, ac frangi poterat, excitatus animus, alia magis perennia cœpit intueri; virtutes nimirum Tuas ac Maiorum Tuorum; eaſque in primis, quæ IOANNI BONSIO Cardinali Patruo conſecrauere Mauſoleum gloriæ. Has ego vtique ignorare non poteram, quas laudaui Romæ in honeſtiſſimâ Auditorum panegyri; ſed complorator veriùs, quàm Orator: quia vnius æſtiuæ noctis tenebræ, quas tu mihi præſcripſeras, haud fuerunt ſatis, vt in lumine publico res ab eo præclarè geſtas collocarem. Fuit tamen ea non tam funeris, quàm triumphi dies: quia quod Roma fortaſſe numquam vidit, eodem momento, intra duo diuer-

ſa Templa, aliqui ex Auguſtis Patribus, in geminos diſtributi conſeſſus, ei parentarunt: atque ita dulciſſimum Collegam, velut diſpenſatis lacrymis, glorioſiùs fleuerunt. De illo, ac de aliis Maioribus Tuis, ne iam quidem dicere, pro voto meo pariter ac pro eorum amplis meritis poſſum; cùm omnia ipſorum decora, togæque ac belli munia, Florentiæ, ab annis octingentis, domi foriſque obita, vſque ad ſupremum Reipublicæ Magiſtratum, nequeant intra fines anguſtos vnius epiſtolæ comprehendi. Vnum commemoro, & illud ſanè memorabile (quandoquidem Tu in Galliâ degis Antiſtes magnus) nempe ſemper antehac nuptias Heroidum Ita-

liæ

liæ noſtræ, cum Regibus Gal-
lis, eorúmve conſanguineis Ma-
gnatibus, Præſulem aliquem ex
BONSIA Gente conciliaſſe. AN-
TONIVS BONSIVS, frater RO-
BERTI Proaui Tui, Epiſcopus
Terracinæ, functus eſt Legatio-
ne CLEMENTIS VII. ad FRAN-
CISCVM Regem; vt Cathari-
nam Mediceam illius gentilem
deſponderet Duci Aurelianenſi
Regis filio, qui fuit poſteà HEN-
RICVS II. Rex. THOMAS BON-
SIVS frater DOMINICI Aui
Tui, Epiſcopus Biterrenſis, ac
ſimul ditionis eius Præfectus,
dum erant in Regno graues ſi-
multates, ab HENRICO III. in
Hetruriam miſſus eſt; vt Eleo-
noram Mediceam, Franciſci
Magni Ducis filiam natu ma-

iorem, peteret coniugem Duci Alenzonio Regis fratri. IOANNES BONSIVS, frater PETRI Parentis Tui, ac Viri honoratiſſimi, cùm à THOMA Patruo grandæuo accepiſſet infulas ſacras Eccleſiæ Biterrenſis, reuertit aliquot pòſt annis ex Galliâ in Hetruriam, rogatus à Ferdinando Magno Duce, vt MARIÆ Mediceæ, fratris filiæ, connubium Regium cum HENRICO IV. apud CLEMENTEM VIII. Romæ atque Ferrariæ præpararet. Quaſi BONSIA Gens ſola eſſet Pronuba Reginarum; ex eâque dumtaxat poſſet eligi Auſpex, aut Paranymphus, qui pro dignitate eas nuptias, plenas maieſtatis, adornaret. Is deinde ſtabilito coniugio, fuit in Gal-

Galliâ Reginæ Magnus Eleëmo-ſynarius, ac Præſes ſecretioris eius Senatus: & dum certatim ad honores peteretur, adeò vt Ferdinandus Magnus Dux Florentiæ Archiepiſcopum eum optauerit, tandem ex Regni ſuffragio,in quo Fidei Orthodoxæ, atque Eccleſiaſticæ immunitatis Patronus & Vindex audiebat,renuntiatus eſt S. R.E. Cardinalis. Romæ ideò manſurus, (vbi Nationum & Regnorum ſemper commodo vixit) vt Biterris deſiderium ſui mitigaret, DOMINICVM BONSIVM, fratrem Tuum, ſucceſſorem ſibi adlegit, prorſus muneri magno parem, omniq́ue ſacrâ eruditione excultum adeò, vt, tametſi adoleſcens foret, ad populum

* 5 di-

diceret pro ſuggeſtu ſummâ grauitate, parteſque optimi Antiſtitis egregiè obiret. Cùm is autem ex viuis deceſſerit in primo iuuentutis robore, ſubrogatus ei eſt, in ipſo ætatis flore, THOMAS BONSIVS, alter frater, à LVDOVICO Rege XIII. cuius ephebus honorarius in Aulâ Pariſienſi, & ex charioribus quidem, fuerat. Huic demum, iuueni nato in omnia pietatis ac veræ virtutis exempla, poſtquam Cælum patuit, Tu ſucceſſiſti; ac deſerens nobile ſacerdotium, quod Romæ in Vaticanâ Baſilicâ merueras, Biterras profectus es; vt Deo, vt Chriſtianiſſimo Regi, vt Regno eius, in viridi iuuentute, ſenectutis maturæ fructus exhiberes. Annonæ

ca-

caritas, bellum, & lues, tria maxima incommoda generis humani, Te vigilantiſſimum Præſulem oſtenderunt. Aſſerta Cleri & Ordinum ſacrorum honeſtas ac dignitas, populique repurgatio,aduerſus Caluini ſpuria germina; vt profiteatur ſolùm auitam illam fidem, quam olim S. Hilarius propugnauit in Synodo Biterrenſi; hæc, inquam, palàm faciunt, Te inſiſtere gloriosè quatuor conſanguineorum Epiſcoporum veſtigiis, qui Biterrenſis Eccleſiæ gubernaculum ante Te, cum iis ipſis laudibus, rexerunt. Peculiariter conati ſunt illi ſemper Sectarios, atque eorum Duces, retrahere ad vnum Eccleſiæ ouile; nec defuit felicitas: vſque adeò,

adeò, vt IOANNES BONSIVS, Caluini præconem Biterris celebrem Chriſto Domino lucratus ſit, & proſecutus etiam ſtudijs amplis, donec ad Epiſcopi lituum ac cidarim poſtremò eum euexerit. Nihilominùs in diœceſi nouena ſupererant loca, in quibus Caluini coaxare rabulæ, ac turbare harmoniam Eccleſiæ audiebantur. Tu verò in annis perpaucis eò rem adduxiſti, vt dumtaxat in vno perſonent loco eiuſmodi obſtreperæ voces; alibi autem canant vbique nobilem Tuum de Hæreſi perdomitâ triumphum. Eſt igitur cur glorier, me in Collegio Romano fuiſſe Magiſtrum Tuum, & iam eſſe Diſcipulo minorem: atque inſuper eſt, cur Tibi tranſ-

ſcri-

ſcribam has Notas meas, aduerſus Virum, quem grande perfidiæ ſuæ clypeum Sectarij æſtimant, etſi perfractum ſæpiùs, & penetratum à Scriptoribus Catholicis. In eis Roma, & Romanus, idemque totius orbis Chriſtiani ſupremus Antiſtes, extra nebulam fiunt; quam inhalauit illis teterrimam Hæreſis, vapor gehennæ, ſpiritus Molinæi. Dum in lucem & diem exeunt, videbitur congruè præire patrocinium nominis Tui; quia Tu, & Romam amas, & Romani Pontificis faſtigium ſanctè veneraris. Cape libens publicum hoc teſtimonium præſtantiæ Tuæ, ſimul atque obſeruantiæ meæ. Vale diutiſſimè; atque ad famam æternam cum iis virtuti-

bus

bus progredere, quibus aliquando Patrui honor vltimus deferatur. Ita voueo,

Tibi, ILLME ac REV^{ME} PRÆSVL,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus

SILVESTER PETRASANCTA
è Societate IESV.

Leodij, Kal. Jun. M. DC. XXXIV.

Digitized by Google

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

Ego infraſcriptus Soc. Iesv *in Prouinciâ Gallo-Belgicâ Prouincialis, pro poteſtate mihi factâ ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Societatis noſtræ Præpoſito Generali, concedo Balthaſari Moreto Typographo Antuerpienſi facultatem typis mandandi Notas R. P. Silueſtri Petraſanctæ Societatis noſtræ Theologi in Epiſtolam Petri Molinæi ad Balzacum, cum Reſponſione ad hæreſes, errores & calumnias eius, ac Vindicijs Vrbis Romæ & Pontificis Romani. Datum Duaci,* III. *Feb.* M. DC. XXXIV.

Ioannes Lobbetius.

A P-

APPROBATIO CENSORIS.

VIdi Notas & Animaduerſiones R. P. Silueſtri Petraſanctæ Romani è Societate IESV *Theologi in Epiſtolam Petri Molinæi Caluiniani ad Balzacum; & iudicaui Nouatorum hæreſes, fraudes, calumnias, fortiter, clarè & diſertè in illis Notis refutari & conuinci; atque adeò Theſaurum in illis recondi doctiſſimarum tam in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ quàm in Hæreticis controuerſiis obſeruationum: proinde cenſeo publicâ luce publico bono donandum. Antuerpiæ,* VII. *Feb.* M. DC. XXXIV.

Gaſpar Eſtrix Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, ac Librorum Cenſor.

SILVESTRI PETRASANCTÆ ROMANI SOC. IESV THEOLOGI

NOTAE IN EPISTOLAM PETRI MOLINÆI AD BALZACVM

CVM RESPONSIONE AD HÆRESES, ERRORES ET CALVMNIAS EIVS.

PROMISI, ineunte æſtate, ſuperiori anno Sedani, me ſcripturum aduerſus calumnias & viroſa dicteria, quibus ſine causâ, & ex odio impotenti dumtaxat, *Petrus Molinæus*, inter Huguenottas magnum nomen, dum Balzacum & eius eloquentiſſimum Principem laudaret, inuectus eſt in Romanum Pontificem, & in Eccleſiam Romanam. Sed & Ieſuitas inſimulauit doctrinæ cruentæ ac perduellis: cuius magiſtros meliùs Caluiniſtas ſuos agnouiſſet, & agnoſcet pòrrò ex hac diſſertatione meâ.

2. Eò magis verò, vt id iam agam, inducor, quia eadem fermè contorſit in alloquio mecum Sedani, inter priuatarum ædium conclaue; vbi Viri honeſtiſſimi aderant: nec diuerſa rurſus Leodij, autumno exeunte, inter colloquendum vibrauit. Quaſi non aliis armis inſtructus, velit deinceps conferre ſigna hic magnus partis aduerſæ Achilles, & cum caſtris Eccleſiæ dimicare.

CAPVT PRIMVM.

Prædicantium egeſtas & opprobrium, arguunt eos falſæ ac vaniſsimæ Religionis.

1. BAlzacus, Scriptor in Galliâ diſertiſſimus, dum commendaret Molinæum ab eloquentiâ, dixerat eum eſſe perſimilem Nauarcho, qui ex piraticâ celoce tonet eloquio contra inſtructiſſimam claſſem: tribuere inſuper eum poſſe vni ſeditioni colorem, aut laruam belli æquiſſimi, vniq; multitudini tranſfugarum, ac ſigna deſerentium, ſpeciem militiæ ordinatæ ac benè conſtitutæ: denique ipſum noſſe artem propinandi animis, vti rem gratam,

Que ie regarde il y a long temps dans le party Huguenot, comme vn excellent Pilote, qui braue toute vne flotte dans vn brigantin.

Vous pourriez donner à vne ſedition l'aparence d'vne iuſte guerre, & à vne multitude de mu-

gratam, ſuæ ſuperſtitionis ſectam, iam exutam omni illecebrâ nouitatis, & quæ ad inclinationem vergit. Atque hic laudum cumulus, & quaſi torrens, impetum dedit Molendino, cuius nos iam farinam incernimus; vt, excuſſo furfure, frumentum Chriſti, eiuſque panis mundus, ad veritatis Chriſtianæ nutrimentum, ſtudioſis eiuſdem veritatis apponatur.

tins la face d'vne armée bien diſciplinée. Vous rendez agreable à beaucoup de gens vne opinion qui a perdu la grace de la nouueauté, quoy qu'elle panche ſur ſon declin.

2. Efferatus his Balzaci laudibus Molinæus, cœpit admordere immeritò Clerum & eius opulenta Sacerdotia. Cùm autem aggerere calumnias & mendacia plurima deliberaſſet, à veritate ſaltem vnâ initium fecit; ne falsò efferre omnia videretur.

3. Si à nobis, inquit, ſtarent opes, penſiones & prouentus, ſubluceret color aliquis exiſtimandi, Virum gloriæ famæque auidum poſſe illecebrâ illâ inuitari, vt tueatur malam cauſam. Sed cùm paupertas & opprobrium ſint comites duo perpetui, quibuſcum graditur noſtra profeſſio: enimuerò abſque præmij ſpe velle nequam eſſe, foret perinde, ac perdere

Si de noſtre coſté eſtoient les richeſſes, benefices & penſions, vous auriez quelque couleur à penſer qu'vn eſprit deſireux de paroiſtre, auroit eſté attiré par ces amorces à defendre vne mauuaiſe cauſe. Mais la pauureté & l'oprobre eſtant annexée à noſtre profeſſion, vouloir eſtre meſchant pour neant, ſeroit à la perte de la pie-

Pieté, perdre le ſens commun. ſimul pietatem, ſimul communem ſenſum.

Heus Molinæ! Fateri hoc potes citra iniuriam ſodalium tuorum? Profectò tibi diem dicerent, ſi eorum veneranda Synodus coacta etiam nunc eſſet Dordraci. Attamen verum eſt quod ais, Miniſtros eſſe paupertatis atque opprobrij victimas: & ex hac ego aſſertione coniicio, tuam ac eorum vanam & prorſus nullam eſſe religionem; aſſumptionem hanc verò confirmare poſſum inductione manifeſtâ.

4. In quâ enim vmquã ætate fuit inops & ſimul inhonorata eorum conditio, qui Deum, Deique cultum, tamquam Myſtæ, procurarũt? Ante Legem ſcriptam primogeniti, & Reges, hoc eſt, virorum digniſſimi, atq; honoratiſſimi, erãt Sacerdotes. Poſt conſtitutam Rempublicam Hebræorum à Moyſe Legiſlatore, sũma fuit dignitas Aaronis & Tribus Leui. Quę Tribus, ex prærogatiuâ honoris, ſola iniuit matrimonia cum Regiâ Tribu Iuda, & denique ſceptrum regnumq; obtinuit vſq; ad Herodem in Aſmonæis, qui erant ex genere Sacerdotali.

Phil. Iud. de Monarch. lib. 2. Cyril. Alexand. cont. Iul. lib. 18.

5. Cedò, quis vmquam Regum filiam, aut neptem, aut puellam congenerem cuiquam ex Miniſtris nuptui dedit? an Anglus, an Scotus, an Danus, an Suecus? Quis

Proce-

Procerum aliorũ hoc egit, an Palatinus, an Saxo, an Brandeburgicus, an Pomeranus, an Haſſus? Quis prætereà ex horum ſtirpe, imò è ſolo Equeſtri Ordine Miniſtervm quã fuit, in Germaniâ, in Galliâ, in Angliâ, in Daniâ, in Sueciâ? Vel ſi copioſo inſtrueres oleo Diogenis lucernam, attamen extingueretur deficeretque, priuſquam fortaſſe numerum eorum aliquem inuenires. Plerumque videlicet tum Epiſcopi, tum Prædicantes ſunt filij terræ, ſunt fraterculi gigantum: ideoque bellum cælo inferunt, & contra Deum & Superos coniurant.

6. Nos interim, penes quos vera eſt Religio, credimus profeſſione Cleri magis ac magis colluſtrari generis claritatem. Idcircò in Germaniâ (quæ pars Europæ & maxima eſt, & auitæ nobilitatis retinentiſſima) Epiſcopi ſemper ſunt Nobiles: atque adeò ex Nobilibus dumtaxat Familiis aggregantur Collegia primaria Sacerdotum. Cæſar pro Septemuirûm Senatu tres à Clero accipit, atque in Epiſcoporum albo ſunt ac fuerunt tum Auſtriaci, tum Bauari; ſicut etiam in ſacro Collegio S.R.E. Cardinalium: in quo iam ſunt Fratres Hiſpaniæ ac Poloniæ Regum, Frater Ducis Allobrogum, Patruus magni Ducis Hetruriæ. Fuit quoque in eo Henricus Sebaſtiani Regis

Luſitaniæ magnus Patruus, ac ſucceſſor eius in regno; hoc eſt, ſimul Rex & Cardinalis: quod Cleri Catholici & Eccleſiæ Romanæ maximè augebat maieſtatem.

7. Ne verò ſuſpicio ſit, opes aut honores quæri à noſtræ Religionis Magnatibus, quando in partes Dei migrant; quàm multi fuerunt qui paupertatis honoratiſſimæ profeſsionem in Cœnobiis adamarunt? Duo Orientis Imperatores cognomines, Michaël Curopalata, Michaël Stratonicus, licet violenter Imperio ſpoliati, ſucceſſoribus à milite ſuble&tis, haud planè inuiti tamen cellæ & cælo ſe dedicarunt. Iſaacus Comnenus, poſtquam farciendo ærario deditus ad ſummam reprehenſionem fuerat, reſciſsis ſuperiorum Cæſarum actis, ac direptis ipſis Templorum donariis; morbo graui admonitus, tandem reſipuit, & raſo capillo ſe ſponte in Cœnobium abdidit, adſcito in Imperium Conſtantino Duca, & mutato in lacernam aſperam paludamento. Magis adhuc laudabiliter, quippe nullâ ſeu violentiæ ſeu conſcientiæ adacti neceſsitate, poſuere Imperium, vt ſibimet imperarent, & profeſsi ſunt aſceticum vitæ genus, tum Anaſtaſius II. vir doctus & pius, tum Theodoſius IV. qui vt erat quietis quàm regiminis auidior, communicato conſi-

Theophanes & Cedrenus.

Curopalates.

Theoph. Cedren. Zonaras.

conſilio cum Germano Patriarchâ & cum Senatu Conſtantinopolitano, Leoni Iſauro eius nominis III. ceſſit Imperium, & Clericus vnà cum filio Epheſi vixit, miraculis poſt obitum clarus. Et is obiter voluit, vt tumulo ſuo inſcriberetur hæc ſola vox, SANITAS. Cuiuis enim, qui in verâ Chriſti fide moritur, cùm ex hac perturbationum regione migret ad ſedes Piorum, verè, iuxta vetus Adagium, *vltimus malorum medicus eſt mors.*

8. In Occidentis Imperio Lotharius Cæſar rerum humanarum pertæſus, purpuram exuit, & Prumiæ in Arduennâ Monachi paupertate ſe inuoluit. Ante illum Carolomannus Caſſinenſi diſciplinæ addixerat ſe. Carolus V. quoq; clarus geſto, clarior contempto Imperio, animo ſaltem, ſi minùs habitu Monachus, ſeceſſit in Monaſterium S. Iuſti. Vt nihil dicam de Rachi Longobardorum Rege, de Trebellio Rege Bulgarorum, de Rege Gothorum Bamba, & tot aliis viris coronatis, qui ex Regibus facti ſunt Monachi; fortaſſe non multò pauciores illis, qui in Lutheri & Caluini ſynagogâ facti ſunt ex Monachis Mariti, & Euangelium ſcilicet reformatum ſpuriâ generatione repleuerunt.

9. Dynaſtas aliquot alios recenſeo, qui

Digitized by Google

horum ſectari veſtigia maluerunt, etiam poſtquam incepit clareſcere Euangelium: ita enim Molinæus Sedani locutus eſt de Veſpertilionum & Tenebrionum ſuorum in hac ſeneſcentis mundi veſperâ circumuolitatione. In Societate noſtrâ Franciſcus Borgia Dux Gandiæ, Aloyſius Gonzaga Marchio Caſtellionis, S.R.I. Princeps, & affinis Eleonoræ Auguſtæ (qui ambo aris donati ſunt) & Carolus à Lotharingiâ Epiſcopus Verdunenſis; in celeberrimo S.Benedicti Ordine, Franciſcus à Caſtro Hiſpanus Dynaſta, & aliquando Siciliæ & Neapolis Prorex; in Capucinorum ſacrâ & venerabili Familiâ, Ser^mus Alphonſus ab Eſte, Dux Mutinæ ac Regij, nomen Religioni dederunt: adeò contemptui non eſt ſtatus vel Cleri vel eiuſdem Religionis.

10. Nihil attinet dicere, quænam olim fuerit ſeu copia ſeu gloria aruſpicum, augurum, & ſacrificulorum apud nationes omnes: ad ſolas prouoco Saliorum & Pontificum opes. Nónne ipſa inſuper dignitas Pontificis Maximi apud Romanos coniuncta fuit cum Imperatoriâ Maieſtate; poſtquam, inclinatâ iam Republicâ, interfuit boni communis, in vnum conferri vniuerſam dominationem? Hoc adeò neceſſarium videbatur, vt Chriſtiani quoque

Impe-

Imperatores, à Conſtantino Magno vſque ad Gratianum, eum Pontificis Maximi titulum retinuerint: non ſe tamen ritu aliquo damnatæ ſuperſtitionis polluerunt, aut minuerunt obſequij reuerentiam, debitam Romano & Maximo Chriſtianorum Pontifici; ſed fuerunt compotes eius ſupremi honoris dumtaxat, quoniam abſque titulo illo,ægrè Imperatoris perſonam ſuſtinere potuiſſent. Ampliſſima nimirum erat Magiſtratus illius auctoritas; poteratque Comitia dirimere,Conſules abdicare, atque decernere inferenda eſſent bella, an ab armis ceſſandum: quocircà quiuis alius eâ poteſtate inſtructus, intercedere, Imperatorumque decreta reſcindere atque abrogare pro libidine potuiſſet.

11. Vt ſit magis in comperto miſeri Miniſterij cōtemptus & opprobrium in vtraque Lutheri & Caluini ſectâ, lubet repetere id quod Martinus Becanus,Scriptor noſtræ Societatis, memorat de quæſtiunculâ circa veram Religionem,propoſitâ in Sympoſio,in quo aſſederant conuiuæ conditionis magnæ, tum Catholici, tum Sectarij. Poſtquam varia ſinguli pro ſe in medium attulerāt,litem diremit tandem eorum aliquis profeſſione miles, excuſatâ priùs imperitiâ rerum Theologicarum. Sciſcitatus

In Exam. concord. Anglic. num. 5.

nimirum eſt ab vno è Sectariis, qui erat vir Princeps, num vellet æqui boni conſulere, ſi contingeret aliquem è liberis ſuis Prædicantem fieri. Confeſtim ille indignabundus; Mallem, inquit, vt quotquot habeo liberos, totidem irent in malam crucem, quàm vt vllus eorum generi ſuo tam infamem notam inureret. Mox alium perinde virum Principem & Catholicum interrogauit, quemadmodum eſſet accepturus, ſi filius ipſius aliquis fieret Ieſuita. Æquiſſimo, inquit, animo id ferrem; & vtinam vni eorum eam mentẽ ſubmitteret Deus! Excepit miles: Nihil opus eſt diſputatione; de verâ Religione ſatis conſtat, dum apparet, eos qui Catholicam docent, in pretio eſſe; infames cenſeri alios, qui alteram obtrudunt. Sic ipſe: & profectò ſententiam eius multò antè confirmauerat Deus ſtabiliueratque, dum quaſi Miniſtros & Prædicantes deſignauerit, protulit Oraculum illud, *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2.

12. Quod ſpectat peculiariter ad eorum paupertatem; exiſtimant prudentes viri, pleroſque ex ipſis adigi ſolâ inopiâ, vt, quamuis veritatem agnoſcant, adulterent nihilominùs verbum Dei. Sunt videlicet homines mulieroſi, vxorculamque alere

cum

cum grege liberorum debent; nec ſuppetunt eis patrimonia, vel animus capeſſendi opificium honeſtum. Credunt verò futurum, vt non pauci reſipiſcerent, ſi fundaretur domicilium, in quo poſſent ære publico ſuſtentari. Interim quanta eſt peruerſitas, pro tenui quæſtu, exemplo Iudæ, Chriſtum prodere, atque animas nundinari? Agnoſcat porrò Molinæus, paupertatem inter Prædicantes ſodales ſuos eſſe potiùs matrem erroris, quàm, vt ipſe aſſumebat, vindicem & cuſtodem veritatis. Agnoſcat inſuper, ex eadem paupertate & ex opprobrio, quibus dolet Miniſtros collegas ſuos vrgeri, ſemet & illos argui malæ cauſæ, impietatiſque & prauæ Religionis. Verè ſiquidem recedentes à Deo in terrâ ſcribuntur; & vt ſordes terræ calcari ſolent, non adorari. Ierem.17.

13. Spiritus ſanctus huic aſſumptioni meæ ſubſcribit: nam eo inſpirante ſacra Regum Hiſtoria refert, Ieroboam, quando vitulos adorandos propoſuit, Myſtas illius abominandæ ſuperſtitionis non alios conſtituiſſe quàm populi quiſquilias. *Fecit fana in excelſis, & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.* 3.Reg.12.

14. Vtinam ſaperet, atque hæc intelligeret Molinæus! quem admoneo, ne pro

ineptâ

ineptâ ſuæ cauſæ defenſione reſpondeat, Chriſtum Dominum & Apoſtolos fuiſſe inopes atque contemptos. Nam voluntaria,& quod inde fit,honoratiſſima fuit eorum paupertas: Miniſtrorum verò paupertas eſt coacta,& ignominioſa. Contemptus deinde non niſi à peruerſis Iudæis, ab Ethnicis,ab Hæreticis Lutheri & Caluini anteſignanis, Chriſto Domino & Apoſtolis obuenit: ceteroqui à veris Chriſtianis ſemper tam ipſi quàm ſucceſſores in honore maximo habiti fuerunt.

CAPVT II.

Oſtenditur,omnem huius noſtri æui hæreſim eſſe ſacrilegam nouitatem.

Sur ce que vous dites, que noſtre Religion a perdu la grace de la nouueauté; ie dis, qu'il eſt impoſſible qu'elle ait perdu vne choſe qu'elle n'a iamais eu.

1. NEgat Molinæus, hæreſim ſuam poſſe nouitatem appellari; & hoc mihi planè nouum videtur. Alij Prędicantes & Miniſtri hoc paſſim admittunt,adeò vt eorum aliquis non ita pridem Limburgi,in publico colloquio, de Religione dixerit; diſcrimen illud eſſe inter noſtræ ac ſuæ fidei profeſſionem, quod eſt inter ſcortum vetus,& ſcortũ nouum.

Otho Miniſter Limburgenſis.

O caſtum enimuerò & pudicum ſermonem,in ore iſtius Euangelici buccinatoris! compa-

comparauit meritò cum meretriculâ hæreſim ſuam; quia profectò fornicata eſt cum amatoribus multis, Luthero, Caluino, Melanchtone, Oecolampadio, Zuinglio, Bezâ, & neſcio quibus aliis nequiſſimis orbis terrarum corruptoribus. Nos Religionem noſtram, ſeu Eccleſiam, etſi magno natu ea eſt, ſponſam Chriſti, *non habentem maculam aut rugam*, verecundiùs appellamus. Epheſ. 5.

2. Vt ad Molinæum redeam; adigit me ad vocabula parum grata, dum hæreſim ſuam negat eſſe nouitatem: quo enim nomine Sectarios noſtri huius æui compellauerim, quos hactenus, qui modeſtiſſimè loqui voluerunt, vocarunt Nouatores? Iniurioſum videbitur, ſi veteratores dixero, aut veteramentarios; cùm veſtem Chriſti, quæ eſt concordia Eccleſiæ, ſciſſam laceratamque à ſuperiorum temporum Hæreticis, dum videntur eam reſarcire velle, decipiendo animas, magis proſcindant, & magis lacerent. De quo facinore Caluinum ipſum audire ſit: *Omnium teterrimum*, inquit, *eſt illud crimen, quòd Sponſam Chriſti diſcerpere conati ſumus. Id ſi verum eſſet, meritò & tibi* (nempe Sadoleto, ad quem ſcribebat) *& orbi vniuerſo haberemur pro deploratis.* Equidem verbo ſatis congruo Epiſt. ad Sadoletú.

&

& quod nouitati opponatur, non video me poſſe vti: veteranos enim & rude donatos dicere illos, qui ſigna mutarunt, & ſunt transfugæ, non decet. Homines reformatæ Religionis videntur nuncupari poſſe tantùm eo ſenſu, quo in re militari loqui ſolemus; hoc eſt, tamquam abdicati, exauctorati, & priuati omni Religione.

3. Sed vt magis à curâ diſpiciamus, noua ſit an vetus Lutheri & Caluini hæreſis, quæ veluti cancer ſerpere, ac exedere membra Eccleſiæ, ab vno ampliùs ſæculo cœpit; cenſum ineamus quàm breuiſſimè hæreſum omnium. Duobus prioribus ſeculis Simoniaci, Menandriani, Baſilidiani, Valentiniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi, & Gnoſtici Articulũ primum Symboli Apoſtolorum oppugnarunt; ſuadentes non eſſe vnum Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ. Tertio ſæculo Praxeas, Noëtus, Sabellius, & Paulus Samoſatenus cornibus ſuis ventilarunt Articulum ſecundum; in quo aſſeritur Diuinitas Chriſti. Dein Photinus, Arius, & Eunomius tribuerũt Chriſto naturam aliam à naturâ Patris; neque vtriuſque perſonas diſtinxerunt. Circa quartum ſæculum Neſtorius, Theodorus Mopſueſtenus, Eutyches, & Dioſcorus conuellere voluiſſent

Card. Bellar. in Præfat. ad Controu.

Articu-

Articulos,tertium,quartum,quintum,ſextum & ſeptimum. Circa quintum verò ſæculum idem conati ſunt Petrus Gnapheus,Seuerus Antiochenus, Iulius Halicarnaſſeus: ſicut ad ſextum & ſeptimum ſæculum Iacobus Syrus, Cyrus Alexandrinus,Sergius Pyrrhus, Paulus Conſtantinopolitanus, ac demum diuiſa in ſectas plurimas Eutychetis poſteritas. Etenim hi aliis atque aliis machinis ſubruere ac euertere optaſſent myſteria diuina Incarnationis,Paſſionis, Reſurrectionis, & vniuerſalis extremique Iudicij: cùm primi perſonas duas in Chriſto, humanam diuinamque aſtruerent; & Chriſtum Deum à Chriſto homine ſeparantes, affirmarent, Chriſtum hominem tantùm, & natum,& paſſum,& excitatum à mortuis fuiſſe, & mundi iudicem futurum; vltimi contrà, naturam vnam ex duabus conflarent, crederentque Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, & extremum Iudicium eſſe inania hominum commenta.

4. At Græci ab octauo ſæculo auſpicati ſuum ſchiſma,niſi ſunt deſtruere velle Articulum octauum; quia pronuntiarunt,Spiritum ſanctum à Filio non procedere: quáquam enim, vti aduertit Cardinalis Bellarminus, multo ante ſchiſma Græcorum, partim

In eadem Præfat.ad Controu.

partim Macedonius Spiritum ſanctum Deum eſſe, partim Theodoretus eum procedere à Filio negauerant; illæ potiùs velitationes ac leues pugnæ fuerunt, dum interim totis caſtris ab Eccleſiâ Catholicâ Diuinitas Chriſti, & eius vera humanitas propugnaretur. Sed hi omnes debuerunt receptui canere, imò cadere vt victi: experti videlicet, ea quæ ſpectant ad tres diuinas perſonas, eſſe funiculum illum triplicem, qui difficilè rumpitur. Caſtra ideò metati ſunt noui hoſtes contra Eccleſiam & contra eius Sacramenta. Itaque ab anno milleſimo ad ætatem hanc noſtram Berégariani, Petrobruſiani, Albigenſes, VVicleffiſtæ, Huſſitæ, Lutherani, Zuingliani, Caluiniſtæ, Confeſſioniſtæ, & Anabaptiſtę, quaſi rabidi moloſſi, latrare cœperunt contra nonum & decimum Articulum; nempe ſanctam Eccleſiam Catholicam, Communionem Sanctorum, Remiſsionem peccatorum. Sed vtinam Caluiniſtæ clàm duos poſtremos Articulos etiam inceſſere non videantur; hoc eſt, Carnis reſurrectionem, & Vitam æternam. Clàm dixi; quia palàm eſſe Athei, & negare immortalitatem Animæ nondum audent.

5. Demus iam Sectariis noſtri æui, & Molinæo potiſsimùm, qui declinat tam ſtudioſè

ſtudioſè nouitatis ignominiam; demus, inquam, eis antiquitatem, quam poſſumus in ipſorum errore maximam. Ægrè vltra Berengarium ibimus: nam is docuit primò, verum Chriſti Corpus in Euchariſtiâ non eſſe, ſed ſolùm ſignificari; fundauitque Sacramentarios, & inter eos, Caluiniſtas. Dein palinodiam canens, faſſus quidem eſt eſſe in eâ Chriſti verum Corpus, ſed ſupereſſe cenſuit ſubſtantiam panis: atque ideò fundauit errorem Lutheri & Confeſſionis Auguſtanæ, ſeu Confeſſioniſtarum. Demum cenſuit, neque infantes tingi debere luſtrali Fonte, neque coli debere Matrimonia, ſed omnes feminas omnibus maribus eſſe communes: atque hi ſunt Canones Anabaptiſtarum.

6. Sed fortaſſe intercedet aliquis, ac memorans ipſos abominari ſacras Imagines, aſſumet vltra Berengarij ætatem eundum eſſe, hoc eſt, ad Leonem Iconomachum, & ad Conſtantinum Copronymum, qui fuerunt illius impietatis duces. Eſto, demus eis hoc pariter; & dummodò nos Conſtantini Magni veram Religionem veramque pietatem ſectemur, Conſtantini alterius ſordes ipſi amplectantur & ſtercora. Fuit is magicis artibus luxuriaque infamis, & ab inquinatis aquis ſacri Baptiſmi

Copronymus (vt qui iuxta Patriarchæ vaticinium debebat ſacra omnia polluere) ab iniuriâ & deſpectu ſacrarum Imaginum Iconomachus: Caballinus verò appellatus eſt, ab equorum fimo & lotio; quo tantopere delectabatur, vt non aliis vnguentis ſe atque aſſeclas illineret. Fœtet ſola huius monſtri purpurati recordatio: nam huic pariter atq; adminiſtris eius meritò Deiparæ Mariæ virginitas, & aliorum Sanctorum pudicitia, tamquam ſcarabæis roſa, diſplicuit. Idcircò Præfectus illius Epheſi, vt obſcœno Principi obſequeretur, & inſtitutis Lutheri atque Caluini quodammodò præluderet, omnes Monachos, & omnes ſacratas Deo Virgines iuſſit aliquando acciri; & vel ſacrilegas inire nuptias, vel ſi renuerent (renuerunt autem plurimi) orbari luminibus, atque in exilium ablegari. Ad horum parentum magis priſcam ætatem eant, ſi lubet, filij nequiores: citra iniuriam fit comparatio; quia virus ſuum Berengarius ante obitum reuomuit, Conſtantinus verò Iconomachus, plagâ in cruribus acceptâ, dum erat in expeditione contra Bulgaros non priùs exſpirauit, quàm iuſſerit deinceps Mariam coli vti Sanctam, vti Virginem, vti Deiparam; cùm anteà credidiſſet, cultum ei dumtaxat exhiben-

Theophan. & Cedren.

hibendum fuiſſe, quàm diu Chriſtum Dominum in vtero geſtauit; vſus crumenæ exemplo, quæ ſolet æſtimari dumtaxat, dum aurum continet. At illorum filij adhuc in hæreſi perſeuerant, & in ſordibus ſuis computreſcunt.

7. Nihilominùs quia poſt ea tempora manſerunt ſemper Eccleſiæ antiqui ritus, & antiqui mores, hæreſi ſuperatâ: ex eo apparet, ſectarios huius noſtri æui Nouatores eſſe, quoniam omnia, quæ erant priſca, ſuſtulerunt. Vbi templa ſunt, aut templorum ornatus? horrea veriùs dixeris videri, fana hæreticorum profaniſſima. Deeſt in eis altare, quod Chriſtum Dominum refert, & cuius mentio frequentiſſima eſt apud ſanctos Patres. Deſunt lampades, & earum iuge lumen, quibus inſtruendis aſſignati etiam olim fuerunt perpetui prouentus. Quo pacto ſanctus Gregorius Magnus Baſilicæ diui Petri prædia cum oliuetis numero trigintaquinque, & fermè totidem Baſilicæ ſancti Pauli donauit. Deeſt Panis propoſitionis nouæ Legis & noui Teſtamenti, hoc eſt, Chriſti Domini Corpus in Sacramento Euchariſtiæ; quod ſeruabatur inter vaſcula ex auro aut argento elaborata, ſpecie columbularum, ad argumentum animæ, quo accederet ad eſum

eius purior columba. Deſunt Imagines ſacræ, inprimis Crucis, quæ ita in vſu erat, vt
Can. 3. an. 570. Concilium Turonenſe ſecundum iuſſerit Corpus Domini in altari ſub Crucis titulo cuſtodiri. De ipsâ verò icone Chriſti Do-
De Pudicit. c.6.& 10. mini dubitari non poteſt; cùm Tertullianus teſtetur vel in ſacris Calicibus ſculpi eam conſueuiſſe ſchemate Paſtoris, referentis ad caulas ouem perditam. Imò idem Chriſtus imagines eaſdem conſecrauit, imprimens lineamenta oris ſui in peplo Veronicæ, & ſui Corporis formam in ſyndone ſepulchri. Cùm verò Alexander Imperator iconem Chriſti & iconem Abrahæ collocauit in Larario inter animas ſanctiores, hoc ideò egit, quia imagines eaſdem à Chriſtianis coli didicerat. Imago deinde Virginis Deiparæ in eâ fuit veneratione, vt victoriæ ab Imperatoribus illi acceptæ referrentur, & ea ſola, bello exſtin-
Curopalates. cto, triumpharet. Sic Ioannes Zemiſces Imperator Orientis de Ruſſis, de Bulgaris, de Scythis, de Turcis fœderatis triumphum agens, poſt deleta in variis prœliis eorum trecenta & tricena millia, Conſtantinopolim intrauit, vectus albo equo ante iconem Deiparæ; quæ curru triumphali vehebatur, inſiſtens trabeis & ſpoliis opimis Bulgarorum. Sic Ioannes Comnenus de Tur-

Turcis, de Scythis, de Seruiis, de Vngaris, ſic Imperator Manuel de iiſdem Vngaris, triumphum inſtituerunt: & ne vetera ſolùm commemorem; ſic vidi ego Romæ triumphare eiuſdem Deiparæ iconem illam, cui victoria Pragenſis à Ferdinando ſecundo Cæſare, & à Maximiliano Bauaro, piis & victoribus, tribuebatur. Aliter eius iconem, ad probrum æternum Chriſtiani nominis, circumtulerunt non ita pridem Herbipoli, per compita vrbis, ſacrilegi & nefarij milites, cum poculis & pateris perſtrepentes, agmine temulento; quam iniuriam vlciſcetur aliquando hæc Mater Caſtrorum. Nicetas Choniates.

8. Adhæc, vbinam Clerici ſunt & Sacerdotes? vbi eorum cælibatus, vbi habitus & inſignia? vbi Ordo atque inauguratio? Huius certè inaugurationis ritum perantiquum in eo quoque viſus eſt imitari Alexander Imperator, quòd nullum Magiſtratum creauerit, niſi poſtquam fuerat percunctatus à populo, an ille cuiuſquam vitij argueretur: perinde ac fieri nouerat in prædicandis Sacerdotibus, quando ſunt initiandi. Habitus ſiue in communi vitæ vſu decens ac talaris, & vt olim erat, coloris violacei (qui hodieque retinetur à familiaribus Pontificis Romani) ſiue in tem-

pli muniis obeundis, vbi iam eſt in pleriſque vrbibus atq; prouinciis hæreticorum? prodeunt Miniſtri braccati,palliolati,& ſemiamicti; hoc eſt, digni omnino myſtæ myſteriis quibus operantur. Cælibatus, quem ab Apoſtolis fuiſſe annexum Sacerdotio, Patres ſecundi Concilij Carthaginenſis affirmarunt, ita olim in eodem Clero colebatur, vt quotquot, cùm eſſent viri iam & coniuges, fiebant,vxoribus conſentientibus, Preſbyteri aut Epiſcopi,illicò earum eſſe deſinerent mariti; aut ſi procrearent deinceps filios, punirentur tamquam adulteri; & hoc ſanctus Hieronymus teſtatur. Vxores porrò, à viris conſecratis ſponte ſuâ diuiſæ, Diaconiſſæ, Preſbyteræ, Epiſcopæ dumtaxat ob virorum ſuorum ordinem appellabantur: nam initiatæ ceteroqui non erant; atque idcircò eas Nicæna Synodus inter laicas adnumerauit. Multò magis perſeuerarunt cælibes, qui inaugurabantur Ordine ſacro, antequam nuptias experirentur.

Lib. contra Iouinian.

9. Nihilominùs hoc tam antiquum Cleri decus,reddens vaſa puerorum ſancta,ſuſtulerunt hæretici; & dum vxori adhærent miniſtri eorum, diuiſi ſunt, minúſque cogitant illa quæ ſunt Dei: niſi diuum Paulum, & in eo Spiritum ſanctum, errare exiſti-

iſtimauerint, aut mentiri. Quin etiam ita ſunt comparati, vt non videantur ſatis habituri ſi matrimonium Clero permittatur, quemadmodum aliquâ ratione permittitur in Eccleſiâ Orientali: volunt imò id præcipi, & clamant rem vxoriam iniungi, ſimul à Iure naturæ, ſimul à Iure diuino. Vtinam ab hac parte Socratę non ſint feliciores, & rixoſam aliquam Xantippen, cum dote ærumnarum locupletiſſimâ, ſortiantur!

10. Vt adiiciam Sacerdotibus ſacrificium; hoc pariter ſuſtulerunt. Appellent, quantum lubet Papiſtas Miſſificantes, dummodò vel inuiti ſciant ac fateantur, ſanctum Petrum, ſanctum Paulum, ſanctum Iacobum, ſanctum Marcum Liturgiam ordinaſſe, & Miſſæ vocabulum multò ante ſancti Gregorij Magni tempora (quod ipſi negant tamen) vſurpari à ſanctis Pontificibus, Clemente, Euariſto, Alexandro, Teleſphoro, Hygino, Pio I. Sotere, atque aliis, qui in ſecundo ſæculo Eccleſiam Catholicam rexerunt. Eſt quoque illius mentio in Epiſtolis & Conſtitutionibus Cornelij, Felicis I. Eutychiani, Iulij I. Felicis IV. & Vigilij, qui omnes ſederunt ante Gregorij Magni tempora. Eſt item eius mentio in antiquioribus eiuſdem

Clemens Epiſt. 3. Burchard. l. 3. c. 27. Epiſt. p. ad Orthod. c. 4 Et apud Gratian. Can. In Sacramentorum. de Cõſecr. d. 2 Epiſt. ad omnes Epiſc. c. 2. Canone In nocte. de Cõſecr. d. 1 Can Omnes. de Cõſecr. d. 1. Epiſt. ad Iuſtum Epiſc. Vienneſem.

æui Conciliis; nempe in Romano, cui interfuerunt ſanctus Silueſter Papa, Conſtantinus Magnus, & Helena Auguſta, in Carthaginenſi ſecundo, in quarto Mileuitano, in Arelatenſi tertio, in altero Romano ſub Symmacho Pontifice, in tertio & quinto Aurelianenſi, in Turonenſi & in Narbonenſi: vt omittam Patres diuo Gregorio vetuſtiores, videlicet Hieronymum, Damaſum, Ambroſium, Auguſtinum, Seuerum Sulpitium, & Caſſianum, qui de vocabulo Miſſæ omnes expreſsè meminerunt. Si autem hi deeſſent, ſufficeret ad hæreticos reuincendos Patriarcha ipſorum Lutherus, qui ait noſtram rationem colendi Deum per Miſſam fuiſſe veterem & inolitam; ſuam verò recentem & inſuetam.

Tom. 2. Luth.

11. Ceterùm congruit Miſſæ ea ſacrificij definitio, vt ſit nimirum oblatio externa rei permanentis, certo ritu in Dei honorem & cultum conſecratæ ac immutatæ à legitimò Miniſtro, in proteſtationem eius ſupremi dominij, & noſtræ ſubiectionis. Fit verò multò diuiniùs, quàm cùm aut panem & vinum obtulit Melchiſedech, aut cùm ſacrificium ſimilæ, quod coquebatur in clibano, Numini offerebatur. Eſt porrò ſacrificium Euchariſticum inſtitutum

Geneſ. 14. Leuit. 7.

tum pro gratiarum actione, ob ingentia Dei beneficia in humanum genus collata. Eſt propitiatorium pro peccatis & pœnis peccatorum; cùm in eo idem offeratur quod in Cruce oblatum fuit; & variet ſola offerendi ratio, dum incruentè in Euchariſtiâ offertur, quemadmodum in Cruce oblatum fuerat cruentè. Continet tamen ſuo modo Sanguinis effuſionem: nam ſpecies panis Corpus, ſpecies vini Sanguinem habent. Eſt denique impetratorium, quia gratiam & cæleſtia dona, & perſeuerantiam & liberationem impetrat à quibuſuis tum animi tum corporis periculis.

12. De ſublatis ieiuniis, ſeu Quadrageſimæ inſtitutæ ab Apoſtolis ob Chriſti Domini abſtinentiam in deſerto, ſeu quartæ Feriæ, propter ſententiam de morte eius, dictam à Pontifice & Sacerdotibus eadem die; ſeu Feriæ ſextæ, ob ipſum in crucem actum; ſeu Sabbati, ob victoriam Simonis Magi (quem habitum Romæ nouum Icarum precibus ſuis coëgit ſanctus Petrus ad terram redire præcipitem) de ſublatis inquam his ieiuniis nihil dicam; & non deeſt tamen inter hæreticos illud genus dæmoniorum, quod ſolùm eiici poteſt in oratione & ieiunio. Sed quid? habent à Luthero Oraculum aliud, quod inſtar Matth. 4. Matth. 17.

 vul-

vulpium fœtet. Nam ſuaſit, ventris efflatu dæmonia eiicienda eſſe, hic Euangelij reformati egregius Exorciſta.

13. Nec dicam pariter ſublatum ab eis in vtroque ſexu decus virginitatis & cælibatus; quæ duo inter aſſeclas Lutheri & Caluini ſunt funeſta & abominanda nomina. Habuit ſemper tamen Eccleſia choros & virginum & cælibum, tum in clauſtris, tum in liberis domiciliis: habuit, quod mirabilius eſt, in coniugio ipſo ſponſos virgines, iuxta exemplum illud grande
Euagrius lib. 2. cap. 1. MARIÆ ac Ioſephi; nempe Pulcheriam Auguſtam, quæ, cùm non præceſſiſſet exemplum, vt femina ſola Romanum Imperium regeret, Marciano nupſit, viro ex infimo gradu militiæ ad ſummos eius magiſtratus euecto: ſed eâ lege nupſit, vt virginitatem, quam Deo dicauerat, retineret: atque adeò Henricum ſanctum Imperatorem, qui moriens Cunegundam Auguſtam reſtituit parentibus æquè intactam, atque eam ſponſus acceperat; maluitque decedere virgo, quàm Cæſarum aut Regum parens. Ringere ad hæc exempla video ſalaces Euangelij reformati Patres: & tam-
Matth. 19. etſi Chriſtus conſilium dederit, laudaueritque eunuchos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei; ſanctus Paulus quoque virgi-

virginitatem ſuaſerit; nihilominùs Lutheri 1.Cor.3.
& Caluini hęc ſunt Oracula, videlicet cælibatum eſſe tyrannidem & ſuperſtitionem, & ſicut in poteſtate noſtrâ non eſt, vt non ſimus viri,ita nec eſſe in noſtrâ poteſtate, vt viuamus ſine feminis. Ad hæc diuinum illud verbum, *Creſcite & multiplicamini*, non præceptum eſſe tantùm, ſed plus quàm præceptum: & actum eius præcepti eſſe homini magis neceſſarium,quàm ſit comedere, bibere, ventrem exonerare, nares emungere, dormire, vigilare. Rectè infert Ludouicus Richeomus hæc referens, fore vt ſi vnus equus loqui poſſet, iuberet hos tã effrenes emiſſarios impudentiſſimè mentiri. Saltem quia equus calcitrare ſcit, etſi neſcit loqui aut diſputare, adderẽ ego; Vtinam contra hunc ſpiritum luxuriæ Spiritus omnipotẽtis Dei feciſſet magnam illam ſuæ oſtenſionis euidentiam, quam Heliodorus expertus eſt, dum ſacrum ærarium expilaret; vtinam, inquam, equus 2.Machab.
terribilem illum habens ſeſſorem, cum 3.
impetu Luthero & Caluino priores calces eliſiſſet; & iuuenes duo virtute decori, hos fœdos venereoſque prædones pudicitiæ, ſine intermiſſione multis plagis impreſſis verberaſſent. Attamen ſunt qui hos & Eccleſiæ reformatores & inſtitutores morum

agno-

1. Cor. 7. agnoſcunt. Sanctus Paulus dixit: *Si non ſe continent, nubant.* deditque optionem ad nuptias, vel ad cælibatum. Ipſi contrà omnibus nuptias eſſe neceſſarias affirmant. Ipſe Chriſtus Dominus ſancto Paulo (qui caſtitatis votum habuit) dum ſtimulum
2. Cor. 12. carnis deprecaretur tertiò, reſpondit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Lutherus & Caluinus & eorum præcones, viris & mulieribus obſtrictis voto eiuſdem caſtitatis, ſi experiantur
1. Cor. 7. eius difficultatem, reſpondent: *Melius eſt nubere, quàm vri.* quòd ſi vrgeantur vt agnoſcant errorem ſuum, Chriſtum erraſſe potiùs fatebuntur; quemadmodum eum deſperaſſe in cruce, & damnatum ad inferos fuiſſe, ore ſacrilego dixerunt. Ideò Monachos, Moniales, & initiatos quoſque Ordine ſacro, nuptias contrahere non permittunt modò, ſed etiam iubent; & vt ver-
1. Cor. 5. bis ſancti Pauli vtar, *omnino auditur inter eos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes.* Certè apud Romanos Veſtales virgines ſtuprum paſſæ defodiebantur viuæ; ſed Luherus & Caluinus, ille Monachus, hic verò Clericus, & ambo initiati,
Ioan. 13. clamant: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

14. Ex

14. Ex his quæ dixi, quamuis multa eiuſmodi præteream, ſatis conſtare poteſt, vaniſſimum eſſe, quod iactant ſectarij; videlicet profiteri ſe eam religionem, quæ primis quatuor ſæculis floruit in Eccleſiâ Dei. Sed inſuper prouocare ſit ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam; vt deprehendatur mendacium. Huius Hiſtoriæ lucem tenebriones noſtri adeò metuunt, vt actum exiſtiment de viro honeſto, qui aut illam conſulat, aut Patres legat, & hauriat inter fontes veritatem: præterquam, quod eſt portento ſimile, ad annos ampliùs mille Eccleſiam ceſſaſſe, nec fuiſſe reſtitutam, priuſquam Lutherum & Caluinum infernus exſpueret. Nihil ſub ſole ſtupidius aures humanæ audiuerunt; & hoc nihilominùs in cor hominum prudentum ac nobilium deſcendit. Sed *Verbum Domini manet in æternum.* & verbum Domini eſt, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. 28.

15. Itaque faceſſant noua, profana, obſcæna, ſacrilega; maneant vetera, ſacra, caſta & ſancta. Inſigne ſtultitiæ conſilium fuit, quod olim iniuit Ratbodus Friſonum Dux, quando Germanis ad Chriſti fidem aggregatis à VVulfranno Epiſcopo, à quo luſtrandus erat fonte Baptiſmatis,

ſciſci-

ſciſcitatus eſt; apud inferos, an apud ſuperos, eſſet plures è Maioribus ſuis reperturus: pluresq́; apud inferos cruciari audiens, Satius ergo, inquit, erit vt plures ſequar: & reipsâ triduo quàm hoc dixerat, decedens è viuis, numerum auxit eorum infelicium. At ſapienter ij, qui de veteri Religione ad nouam ſuperſtitionem Lutheri & Caluini venerunt, dicerent perinde, Satius eſt vt plures ſequar. Fatemur nos, fatentur è ſectariis multi, ſaluari eos, qui noſtram, hoc eſt veterem Religionem colunt. negamus nos, etſi affirmant ipſi, poſſe ſaluari eos qui ſectantur nouam ipſorum ſuperſtitionem. Peto iam, vtra profeſſio ſit melior, vtra ſit ad ſalutem via ſecurior? Cur in ore duorum non ſtet hoc ſaltem verbum, ex quo pendet æternitas?

16. Memineris, reor, Molinæe, cùm Sedani rogarem, æqui boni conſuleres ea quæ dixeram, vti filius Eccleſiæ Romanæ: & cùm tu illicò reſpondiſſes, Vtinam eſſes filius Dei; me rurſus excepiſſe, duo illa non diſtingui: quia Deus eſt dumtaxat illorum Pater, quorum Eccleſia Romana eſt Mater. Hæc videlicet imitatur verbum Dei, & manet in æternum: quod ſemel credidit, ſemper credidit; quod ſemel docuit, ſemper docuit. Prodeat Confeſſio Au-

Auguſtana, quoties eam variarunt Confeſſioniſtæ? Neque formam Proteus, neque colores chamæleon vnquam ita variarunt: atque hoc argumentum eſt magnum Religionis vaniſſimæ & inconſtantiſſimæ nouitatis.

Concludam hoc Syllogiſmo: Nouitas admittenda non eſt in doctrinâ ſalutis: quod iam Sectarij docent, eſt nouitas: non igitur eſt admittendum in doctrinâ ſalutis. Prior enuntiatio eſt ipſius Molinæi, eamque admittere debet aut mentiri; altera enuntiatio eſt manifeſta, ex iis quæ hactenus diſſerüi; ſed & ſuffragantur ei Lutherus pariter & Caluinus, quibus Molinæus contradicere non auderet. Lutherus enim, *Primus*, inquit, *fui*, *cui Deus*, *ea quæ vobis prædicata ſunt*, *reuelare dignatus eſt*. Caluinus verò de Luthero affirmat eum agere cœpiſſe cauſam Euangelij, & viam primum demonſtraſſe. Syllogiſmi forma optima eſt, ideoque poſtrema eius enuntiatio aſſenſum promeretur.

Luth. to. 7.

Calu. in ſecundâ Defenſ. contra Weſphalos.

CAPVT III.

Expenditur àn verum ſit, Sanctos recentes in Italiâ venerationem adimere Sanctis antiquioribus.

Cela eſt bon pour l'Italie, où les nouueaux Saincts font perdre le credit aux vieux.

1. EXprobrare id Molinæus non debuiſſet,quia Sedani,dum Bibliothecã, his qui mecum aduenerant, oſtenderetur, nihil fermè auditum eſt, præter Sanctorum irriſiones. Riſit aliquis ſanctum Dominicum, perſanantem oleo mulierem ægram. Rideat perinde Chriſtum Dominum aut ſaliuâ vtentem, aut luto, dum os muti aperiret, & dum oculis vnius cæci
Ioan. 9. nati explicaret lucem & diem. Riſit alius ſanctum Franciſcum, partim quia concionabundus ad auicularum gregem dixit; (quaſi etiam ſit ridendus Ezechiel, qui ex
Ezech 37. Dei præſcripto dixit: *Oſſa arida audite verbum Domini)* partim quia complexus eſt niuem, vt exſtingueret luxuriæ ardorem; quaſi meliùs à ſtimulo carnis liberauerit ſe Lutherus, quando,dum pateretur ſimilem ardorem, complexus eſt ſuam Catharinam,

2. At Molinæus dicet,hos potuiſſe contemni tamquam Sanctos recentes, quia Sanctis antiquis venerationem adimunt. Luthe-

Lutherus audiendus eſt, vt appareat, quid de antiquioribus Sanctis exiſtimauerit. *Non debeo*, inquit, *Chriſtianum proximum, omnium minimum, inferiorem æſtimare diuo Petro & omnibus Sanctis qui ſunt in cælo.* Idem Lutherus alibi hæc habet: *Quia verò renati ſumus filij atque heredes Dei, pares ſumus in dignitate diuo Paulo, Petro, ſancta Deiparæ Virgini, & Diuis omnibus; habemus enim eumdem theſaurum à Deo, bonáque omnia tam largiter quàm ipſi: ſiquidem & ipſos non ſecùs atque nos renaſci oportuit: quare non plus habent, quàm quilibet reliqui Chriſtiani.* Item alibi, *Sumus*, inquit, *pares Matri Dei, & æquè ſancti, ſicut ipſa; niſi quòd non poſſumus eſſe Dei Matres, ſicut illa fuit.* Multò magis Sectarij ſuos & ſuas comparant, imò anteferunt Sanctis aliis; & eò ſpectat Epitaphium illud:

Luth. in cap. 28. Gen.

In Epiſt. 1. Petri c. 1.

Coccius de Luth. l. 3. a. 1.

Hoc iacet in tumulo Catharina Melanchthonis vxor;
Tam pia, quàm Coſti filia Regis erat.

3. Interim vt appareat, nihil venerationis antiquis Sanctis deceſſiſſe, poſt relatos alios in cæleſtium album; nos in anniuerſariis celebritatibus eorum adhuc ſanctè feriamur ab omni opere, in peruigiliis verò ieiunamus: atque adeò ſinguli templa obtinent auguſta, & inſtructiſſima Clero

& ſupellectili ſacra. Peculiariter in vrbe Româ ſunt dicata beatiſſimæ Virgini Deiparæ templa ſexagintaduo, ſancto Ioanni Baptiſtæ ſeptem, ſancto Petro quinque, totidem ſancto Paulo; ſancto Andreæ decem, ſancto Iacobo Maiori quinque, ſancto Thomæ tria, totidem ſancto Bartholomæo; ſancto Stephano Protomartyri octo, & octo pariter ſancto Laurentio. Non igitur iis antiquis Sanctis obfuerunt aut ſanctus Franciſcus aut ſanctus Dominicus, dum & ipſi aras & templa obtinuerunt.

4. Vereor ne Molinæus inceſſat Sanctos aliós adhuc recentiores: nec enim fortaſſe poteſt æquis oculis intueri aut ſancti Caroli Borromæi, aut ſancti Ignatij Loiolæ gloriam; vtpote qui nollet è ſacro Cardinalium Collegio, aut ex noſtræ Societatis familiâ viros prodire, qui ponantur ſupra candelabrum ab Eccleſiâ, vt luceant omnibus qui in domo Dei ſunt. Collyrium ægris oculis ſuis quærat, ſi hoc non ſuſtinent; vt videat tria ſancto Carolo Archiepiſcopo & Cardinali templa Romæ iam nunc exſtare, iactis verò fundamentis æternis excitari atque exſurgere diuo Ignatio Parenti noſtro Baſilicam ex Ludoici Cardinalis Ludouiſij piâ & ingenti liberalitate, qui ad ædificium & ad templi dotem

tem nobis ducenta Philippicorum millia teſtamento nuper legauit, præter candelabra maxima ex argento, ſignaque & vaſa, & alia pretioſa donaria ad ornatum eius. Quæ omnia confirmant egregiè promiſſionem illam ſancto Ignatio Romam venienti, eiuſque Sociis de cælo factam; nempe, *Ego vobis Romæ propitius ero*. Vt ſciat Molinæus, vaticinia cæleſtia nunc etiam in Eccleſiâ Catholicâ non deeſſe. Maph. in Vitâ ſancti Ignatij.

5. Quod ad Sanctos eoſdem recentiores attinet, ſummâ conſiliorum & ſuffragiorum maturitate illis iam in Eccleſiâ decernuntur ſacri & cæleſtes honores; ne temerè id fieri blateret Molinæus. In ſacro primùm Rotæ tribunali, mox in Congregatione item ſacrâ Rituum Eccleſiaſticorum, deinde in coacto Romæ vniuerſo Cardinalium & Epiſcoporum Senatu, ipſorum vita & res geſtæ priùs vehementer probantur, quàm veniatur ad eorum apotheoſim. Olim ſtatim ab obitu in Dyptycha ſancti viri abſque diſquiſitione tam accuratâ referebantur.

6. Quæro iam, ſuſtulerúntne veteres Sanctos hæretici, an eos potiùs religioſè colunt? Res eſt in comperto; nam ex æquo ipſi vniuerſos execrantur. Ibam fortè Co-

loniâ Leodium menſe Iunio, poſtquam Sedani fueram, cùm in pagis & oppidis Prouinciæ Limburgenſis deprehendi à Magiſtratu hæretico vetitum fuiſſe, ne celebraretur Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ. Attamen Chriſtus Dominus ore ſuo
Matth. 11. cæleſti de ipſo illud pronuntiauerat: *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Angelus verò prædixerat fore, vt multi in natiuitate eius gauderent. Aliter Sectarij ſentiunt quàm Chriſtus & Angelus eius, atque ipſi ſunt, qui Sanctis antiquis cultum adimunt: admirationem tamen peperit conſtans pietas eorumdem pagorum, quia ceſſantes nihilominùs à diei negotioſi opere omni, vel inuito Magiſtratu feriabantur: ornauerant enim paſſim herbâ virenti, quam appellant ſancti Ioannis, & floreis corollis, poſtes ædium ſuarũ.

7. Diſpiciamus iam quales hæretici quiſquilias & hominum ſordes Sanctis antiquis ſubrogauerint, & adeamus eorum Kalendaria ſeu Martyrologia, hoc eſt, Augiæ ſtabula veriùs, & ſterquilinia ſcarabæorum. Vetus delirium hæreticorum fuit, Eccleſiam Catholicam in Martyrum cenſu æmulari velle. Ita de Marcionitis &
Apud Euſeb. hiſt. l. 5. c. 15. de Cataphrygibus ſeu Montaniſtis ſcribit Apollinaris Epiſcopus Hierapoleos, antiquiſ-

quiſſimus Theologus; ipſos, cùm omnia quæ pro ſe attulerant argumenta, fuiſſent rationibus conſentaneis reiecta, ad Martyres confugiſſe, & ad propheticum illorum ſpiritum. Inuehuntur pariter tum ſanctus Cyprianus contra pſeudomartyres Nouatianos, tum ſanctus Epiphanius contra Euphemitas; qui ob eorum multitudinem ſe Martyrianos vaniſſimè appellarunt. Habuere ſuos Donatiſtæ; tantaque inſaniâ Martyrij eam laruam affectarunt, vt cùm Eccleſiæ tyrannorum perſecutio deeſſet, ſe aliquoties dederint præcipites exanimauerintque; deque his Optatus Mileuitanus, diuus Auguſtinus, & Theodoretus meminerunt. Non caruerunt iis quoque Ariani & Priſcillianiſtæ, quorum inſiſtere veſtigiis ſatagunt Sectarij noſtri temporis, & ideò ſuos habent Martyrologos, qui mendacia intexunt ineptiis dicerem lepidiſſimis, niſi iocari in re tanti momenti facinus eſſet.

8. Dicam aliquid de Foxij Kalendario, de quo equidem numquam cogito, quin mihi videar ſimium intueri cum ſtylo & tabellâ ſcriptoriâ; qui ad veritatem ſtolidè, ad riſum promerendum iucundè conatur ſcripturire. Viderat in Kalendario Catholico Pontifices Maximos, Epiſcopos, Re-

ges, Reginas, Virgines, & plurimos vtriuſque ſexus, aut Martyres, aut Confeſſores; voluitque diuerſi generis Sanctos perinde in ſuâ hæreſi recenſere. Pontifices Maximos nullos inuenit, quia in ſectâ Lutheri & Caluini ſolos inuenire poteſt Antiſtites Depontanos. At Epiſcopos Pſeudomartyres quinque reperit, & vnum Epiſcopum Confeſſorem: dicam & ego, *Tityre coge pecus* tuorum Epiſcoporum; nimis pauci ſunt ſancti ex eorum numero, qui eſſe debent ſanctitatis Magiſtri. In Regum & Reginarum cenſu amat Foxius Monarchiam, nam vnum tantummodò enumerat. Sed Virgines illæ ſunt, quę numero carent, imò carent monade, hoc eſt principio numeri: ſummam vniuerſam earum notat his ternis characteribus o o o. Miraculum video; datur vacuum in Foxij Martyrologio, imò in eius cerebro. Profectò ſi vel vnam inueniſſet Virginem, quam notulis illis præſcriberet, confeſtim exſtitiſſent 1000. ſi adhuc inueniſſet ſecundam, & monadem aliam præſcripſiſſet, excreuiſſet cenſus ad. 11000. & diuæ Vrſulæ parthenium Sodalitium æquare potuiſſet.

9. Optarem ſcire an Foxius habuerit tam denſam & promiſſam barbam, ac præ ſe illam ferunt icones Gebennę impreſſæ à Theo-

Theodoro Bezâ, Ioannis VViclefij, Ioannis Forſteri, Ioachimi Camerarij, VVolfgangi Muſculi, Ioannis Oecolampadij, Henrici Bullingeri, Ioſiæ Simleri, Thomæ Crameri, & aliorum qui ſimul cum Bezâ, ſi mores præſertim conſideres, exiſtimari poſſunt de filiis hircorum & caprarum, homines barbatiſſimi. Enimuerò ſi & in moribus pariter & in barbâ Foxius ſimilis eis erat, non debuiſſet inire cum Catholicis certamen, quod cum Chriſtiano aliquo Hebræum iniuiſſe perhibent, vt conſtaret maiórne fuerit Sanctorum numerus in nouo an in veteri Teſtamento: nam etiam ipſe, in cenſu diuæ Vrſulæ, & ſodalium eius, pilis reuulſis, barbam omnem amiſiſſet. Saltem etſi Virgines nullæ ſuppetunt, Foxius Martyres innuptas tres enumerat; de quibus equidem debeo ita ratiocinari. Erant innuptæ, & non Virgines, ergo meretrices. Hæc ſanè dum mecum conſidero, aliaque admodum abſurda, quæ mox referam; mihi videor appellare poſſe Martyrologium ſeu Kalendarium Foxij, Arcam Noë. Etenim cùm in eo accenſeat Martyres vtriuſque ſexus trecentos nonaginta tres Confeſſores verò tres & quinquaginta, & cùm vna eorum fides non fuerit (nam ſunt inter eos VValdenſes & Albi-

genſes tredecim, Lollardi & VVicleffiani triginta ſex, Huſſitæ & Lutherani ſeptuaginta octo, Zuingliani & Caluiniſtæ ducenti ſexaginta octo, Anabaptiſtæ Puritani & dubiæ ſectæ quinquaginta nouem) profectò intra vnum equile calcitroſi equi habenis perfractis numquam ita mutuò ſe impeterent, quemadmodum hi ſolent in ſe inuicem ſtudio partium calcitrare. Cælum vnum eos numquam tranquillè contineret; vt debuerint propterea à me ablegari ad Arcam Noë, in quâ triſtega & manſiunculæ pro beſtiis diſſimilibus inueniebantur.

10. Porrò quàm acriter pugnent Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, referam fermè ipſorum verbis. Martinus Lutherus de Caluiniſtis hæc habet: *Quicumque negauerit pane Cœnæ Domini verum & naturale ipſius Corpus contineri, non eſt quòd cogitet vllam mecum ſibi fore communionem: & ſi ſint qui quoquomodo obganniant de eſu illo ac potu ſpirituali, eaq; extollant falſis ſuis ac blaſphemis linguis; à ſpiritu id procedit nequam, qui eos poſſidet.* Alibi vnitati & charitati Sacramentariorum maledictionem precatur in ſæcula ſæculorum. At ipſos Anabaptiſtas *ſceleſtos* vocat *hæreticos, maledictione coopertos, & Magiſtratui traden-*

Luth. Tom. 1.

Tom. 7.

In Poſtil. domeſt.

dendos vt à Iudice ciuili è medio tollantur.

11. Viciſſim Caluiniſtæ aiunt à Luthero nihili fieri Deum, eum hæreticorum eſſe coryphæum, nec poſſe habere commercium cum iis, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuſcipiunt: hominem verò eſſe non minùs incredibili pertinaciâ quàm intolerabili arrogantiâ notiſſimum, damnatum, & tradentem diabolo eos omnes qui ſuæ ipſius ſententiæ ſubiici nolunt: denique vociferari ac frendere inſtar cacodæmonis. Anabaptiſtas autem nominant monſtra & perniciem orbis terrarum: cum quibus nullum vmquam ſunt habituri commercium, traditoſque eorum aliquos meritò iudicant in Angliâ igni, propter crimen dogmatum peſtiferorum. Tigurin. in lib. contra vlt. confeſſ. Luth.

12. Hi quoque Anabaptiſtæ clamant Lutheranos nihil veri Euangelij habere ſeu doctrinæ diuinæ: ſuaque eos dogmata faſtu intolerabili tueri, vt hac viâ meliùs in licentiâ viuendi perſeuerent. Ipſos autem Caluiniſtas fæcem hominum perditorum & crudelium appellant, ab eiſque aiunt Scripturam ſacram falsâ interpretatione peruerti. In Confeſſ. ſuæ fidei. In lib. Cantionum ſpiritual.

13. Conceptis fermè ipſorum verbis, vt dixi, hæc pauca commemoraui; & hi ni-

mirum Sancti in vno Martyrologio, aut in vno eſſe cælo poterunt? De diſſidio inteſtino Armenianorum & Gommariſtarum nemo eloquentiùs ſcripſerit, quàm ipſe Molinæus, in Præfatione ad Præſides Generales fœderatarum Prouinciarum Belgij. *Miſeranda*, inquit, *erat facies Prouinciarum veſtrarum; inimicus noſtræ ſalutis funeſtæ diſſenſionis apud vos facem ventilabat. Tumultuoſum drama ſuper Belgij theatro agebatur, ſpectantibus multâ cum voluptate aduerſariis; denique vidimus nutantem veſtram Rempublicam, & res propemodum conclamatas.* De Puritanis aliarumque ſectarum hæreticis in regno Magnæ Britanniæ ſatis eſt dicere; paucioribus fluctibus verberari maximam illam & nobiliſſimam Inſulam Oceani, quàm odiis atque diſſidiis diſſentientium inter ſe hæreticorum. Attamen vna fides eſt, vnus Spiritus ſanctus, vna Eccleſia, vna veritas; & pro veris Eccleſiæ filiis orauit Chriſtus Dominus vt vnum ſint, exaudituſque eſt pro ſuâ reuerentiâ.

In Anaton. Arminianiſ.

14. Omitto in Kalendario Foxij percenſeri agricolas, textores, ſerrarios, coriarios, fabros ferrarios, alioſque ſortis infimæ opifices, ducentos octogintaduos, feminas autem pauperes ac lanificas ſexagintaquatuor.

tuor. Etſi enim non eſt in cælo acceptio perſonarum, quiſquiliæ nimis multæ ab eo in cælum intrare compelluntur. Sacros verbi Dei Miniſtros tantùm denos in ſuo Sanctorum elencho enumerauit: dedecus porrò videatur ab his viris apoſtolicis Apoſtolorum numerum non æquari: ſed adſunt loco eorum Apoſtatæ multi, hoc eſt, Laici Sacerdotes duo de quadraginta, Religioſi autem vigintiquinque.

15. Mirabilius videtur, publicos graſſatores, & veneficos, & alios reos, à Magiſtratu iure damnatos, nec admodum paucos, ſed numero vndeviginti, eſſe in Foxij Martyrologio. Sic veluti Martyres celebrat menſe Ianuario, Rogerium Acton Equitem, & menſe Februario Ioannem Oldcaſtle item Equitem: quos ambos tamen Ioannes Stoo, Caluiniſta tam bonus quàm ipſe Foxius, narrat occiſos fuiſſe vti reos proditionis, ob intentatam mortem Henrico Regi eius nominis Sexto. Idemque de illis refert Holinshed. In eodem, Februario menſe celebrantur vti Martyres, Rogerius Onlæus Sacerdos, & Eleonora Cobba Gloceſtriæ Dux: illum tamen morti, hanc exilio adiudicari debuiſſe propter artem magicam, Ioannes Stoo perinde affirmat. In menſe Maio ait, affectos martyrio Robertum

In Chron. an. 1414.

Eod. anno.

An.1441. bertum Kinge, Robertum Debnam, & Nicolaum Marſch; etſi fatetur eoſdem catenis ferreis ſuſpenſos ab Henrico Octauo, propter templa expilata, & propter alia latrocinia. Vt tacitus prætereā Martyres eius aliquot, quos ait, aut ante obitum à Religione ſuâ defeciſſe, aut obiiſſe inſanos; aut vino ſepultos animam ebriam efflauiſſe temulentos. O inſulſum codicem, ô ſcriptorem eius amentem!

16. Nihilominùs Sanctos veros & veteres ita expungit, vt diſputatores & diſputatrices ſubſtituat in Kalendario, loco Antiſtitum & Doctorum Eccleſiæ Orthodoxæ. ita occurrent, Iſabella Foſter vxor Cultellarij 17. Ianuarij, Ioanna Laſhford virgo nupta 18. item Ianuarij, Anna Albright 19. eiuſdem, Ioannes Marindrel Bubulcus 27. Martij, Richardus Chrashfield opifex 28. Martij, Richardus VVoedman opifex 23. Iunij, Georgius Tanckerfield coquus 13. Auguſti, Rodulphus Alerton ſartor 19. Septembris, Ioannes Fortunæ faber ferrarius 30. Septembris, Aloyſia Patkini 15. Nouembr. & Aloyſia Driner doctrix famoſa 22. Nouembris. In hac ſerie cerdonum atque ancillularum primò animaduertere ſit, contra illud præ-
1.Tim. 2. ceptum Apoſtoli, *Mulier in ſilentio diſcat*
cum

cum omni ſubiectione; docere autē mulieri non permitto; mulieres doctrices celebrari. Quoniam verò vna earū appellatur Virgo nupta, fuerit ea proculdubio notæ alicuius excellentioris; nec fruſtrà in Kalendario diem Ianuarij duodeuigeſimum occupauerit. Vel enim Cathedram Romanam ſancti Petri omnino ſuſtulit, cùm eo die ab Eccleſiâ Catholicâ celebretur, vel ipſa potiùs in eâdem Cathedrâ ſedit, vt doctrinâ magis infallibili inſtruat mundum vniuerſum. Illud quoq; notabile eſt, à Foxio in tam ſollicitâ & clamosâ Sanctorum ac Sanctarum venatione hanc vnam demum Virginem repertam eſſe. Cùm ipſam tamen appellet Virginem nuptam, non poſſum rem interpretari aliter, quàm vt ſignificetur eam Virginem adhuc fuiſſe quando ad mariti torum primùm venit. Et hanc Foxius rem eſſe dignam Kalendario arbitratur; tacitè inſinuans, in reformato Euangelio puellas plerumque iam corruptas nuptui dari, & virum experiri ſtatim ac fuerint adultæ; cùm ex Canone eiuſdem Euangelij reformati aſſeratur, neminem poſſe vltra diem quintum continere. Voluiſſem hoc interpretari caſtiùs; exemplo diuæ Cunegundis, aut Pulcheriæ; quæ in thalamo nuptæ ac virgines manſerunt: ſed has eſſe meras fabulas,

bulas, Lutheri & Caluini aſſeclæ furioſè clamant. Itaque vel Sibyllam ab Elyſiis campis euocent, vt ipſa explicet, quid aliud ſit Virgo nupta, vel æqui boni conſulant interpretationem illam meam.

17. Ex his quæ hactenus retuli, agnoſcet haud dubiè Molinæus, in ſuâ ipſius & Lutheri ſectâ, non autem Romæ atque in Italiâ, nouos Sanctos antiquis Sanctis cultum vel adimere vel minuere.

CAPVT IV.

An verè Molinæus dicat, Pontificem iactare, nouos fidei Articulos à ſe condi poſſe, &, ſe debere in terris vocari Deum.

Le Pape ſe vante de pouuoir changer ce que Dieu a cõmandé en ſa parole, & de pouuoir faire des nouueaux Articles de foy.

Matth. 16.

1. GEneratim hoc affirmanti Molinæo, generatim reſpondeo, aliqua poſſe proponi à Romano Pontifice, quæ ſint credenda fide diuinâ, ſiue id agat ſolus, ſiue vnà cum vniuerſali Concilio. Petro enim & Succeſſoribus eius dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* & ideò credimus, eum definiendo aliquid ex Cathedrâ, errare non poſſe. An poſſit peculiariter condere nouos

uos Articulos fidei, hoc alij decernent. Ego abundè habeo, ſi negem iactare Romanum Pontificem ſe vtiq; id poſſe, quamdiu alia auctoritas non contradicit, quàm ipſius Molinæi; neque enim Vox eius eſt hominis ex Tripode loquentis Oraculum.

2. Saltem mutare aliqua Romanus Pontifex aut Eccleſia poteſt, & reipsâ conſtituit, vt ſacram Synaxin in vnâ tantùm ſpecie panis accipiant laici: quod rectè fieri, etiam miracula confirmarũt; & ſolis Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus, ob ingentia ipſorum merita erga ſanctam Sedem, facta eſt poteſtas à Clemente VI. communicandi ſub vtraque ſpecie. Quâ ipſi prærogatiuâ vtuntur dumtaxat, tum in die inaugurationis, tum in vltimo vitæ deficientis viatico. An poſſit etiam Pontifex permittere in Regionibus, in quibus deeſt vinum, vt in ſolo pane fiat Euchariſtiæ conſecratio, decernere hoc Theologi noſtri poterunt: ceterùm habetur ſuſpecta Hiſtoria de indulto eiuſmodi Noruuegis conceſſo ab Innocentio VIII. ob nimia regionis frigora, propter quæ vinum eò importatum dicitur aceſcere. Quia hoc refert ſolus Volaterranus, nec ſibiipſi omnino conſtat; dum addit Pontificem eumdem permiſiſſe, vt ſine vino Calix conſecraretur. Multò

Vide Spõd. in Auctario an. 1556. Henric. lib. de Euchar. c. 44. §. 7.

ſecu-

ſecuriùs & liberiùs in hac re pronuntiauit Theodorus Beza, qui de Cœnâ Domini
Beza Ep. 2. agens, *Ritè*, inquit, *celebrabitur, ſi quod panis aut vini vicem vel vſu communi, vel pro temporis ratione ſupplet, panis aut vini loco adhibeatur.* Maius hoc eſt, Molinæe, materiam videlicet conſecrationis conſtitutam à Chriſto Domino immutare, quàm ſi permitteret Pontifex vt in alterâ tantùm ſpecie fieret conſecratio.

3. Neque ex vſu poteſtatis antedictæ, vel circa nouas fidei propoſitiones, vel circa conſecrationem & vſum Euchariſtiæ, rectè Sedani inferebas, Pontificem velle eſſe & haberi & vocari Deum. Reſpondi ego tunc (quandoquidem id maximè vrgebas, & arguebas Pontificem ſuperbiſſimæ appellationis) teſtari poſſe virum primarium ex iis qui aderant, Paulum Quintum Pontificem recuſaſſe aliquamdiu Romæ Theologicas theſes, ſibi ab illuſtri viro ita inſcriptas, *Paulo Quinto vice-Deo.* tam eſt à vero alienum, velle Pontificem in terris appellari Deum. Attamen potuiſſet eum titulum ſtatim admittere; nam & Vicarios Regũ appellamus paſſim vice-Reges.

Ceterùm in eodem alloquio Sedani addidi ego pariter, Moyſi dictum fuiſſe,
Exod. 7. *Conſtitui te Deum Pharaonis*; & fuiſſe vocatos

catos iudices populi Deos, & Dauidem Exod.22.
Regem illud quoque cecinisse: *Ego dixi: Dij eſtis.* ex quibus aſſumpſi, poſſe pariter Romanum Pontificem appellari Deum. Pſal.81.

4. Duo ad hæc reſpondit Molinæus; ſimiles nimirum appellationes in nouo Teſtamento haudquaquam inueniri: quaſi non ſit locutus idem Spiritus ſanctus per Prophetas olim, & deinde per Scriptores librorum Canonicorum; & quaſi Chriſtus Dominus non reſponderit iis à quibus arguebatur, quòd faceret ſe ipſum Deum: *Nónne ſcriptum eſt in lege veſtrâ*, quia *ego dixi, Dij eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas; quia dixi, Filius Dei ſum?* En, Molinæe, hoc in nouo Teſtamento confirmauit Chriſtus, imò veluti de integro affirmauit. Aſſumam ego rurſus ad rem noſtram: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*, cur nequeat dici Deus Romanus Pontifex, ad quem in Petro anteceſſore ſermo ille Dei magnus factus eſt: *Tibi dabo claues regni cælorum.* & ille alter ſermo item magnus: *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Porrò exempla huius appellationis adeò non deſunt, vt Conſtantinus Magnus, & ſanctum Silueſtrum Ioan.10. Matth.16. Ioan.21.

Pontificem aliquoties Deum,& Epiſcopos Synodi Nicænæ Deos nominarit. Libellos enim oblatos ab Epiſcopis Arianis & Donatiſtis,contra Epiſcopos Orthodoxos, reiecit in diem magni Iudicij, & reſpondiſſe fertur: *Vos nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos.*

Biron. Annal. tom. 3.

5. Alterum quod intereà reſpondit Molinæus, cauſam eam continebat, cur Papam velle in terris vocari Deum exiſtimaret; quoniam, inquit, Papa, ſedem in quâ ſedet, nominat ſedem Dei: nec in eâ reſponſione fuit acumen par ingenio eius.

Eſther 6. Mardochæus indutus veſtibus regiis, & equo inſidens, qui de ſellâ Regis erat, ſicut

Geneſ. 41. etiam Ioſeph aſcendens in Ægypto currum Regis, clamante præcone & iubente, vt omnes coram eo genu flecterent, potuiſſent ſuſpecti haberi,quaſi affectarent titulum Regis.

6. Poſſem Scriptores varios adducere, qui referunt conſueuiſſe olim dari hominibus interdum magnos titulos, ac prorſus diuinos; ſed omnes de induſtriâ prætermitto, vt Molinæum iudicio ſiſtam vnius viri, cuius recuſare ſuffragium atque ſententiam non debet. Adeat Balzaci Epiſtolam, videbit hæc ab eo referri ex Codice Theodoſiano, nempe reſcripta Cæſarum,

Epiſt. 2. ad Eminenti. Card Ricolocium.

Ora-

Oracula; aſpectum, ſplendorem cæleſtem; edicta, literas diuinas; palatium, diuinam domum; conclaue, Sanctuarium vocari. Ait præterea, Conſtantium ceteroqui Arianum, & qui ſemper Eccleſiam fuerat perſecutus, appellatum à ſancto Gregorio Nazianzeno diuiniſſimum Principem; Anaſtaſium item hæreticum Imperatorem, & qui fulmine tactus interiit, eâ veneratione habitum à ſancto Sabâ, vt profiteretur veniſſe ſe adoratum veſtigia pietatis eius Imperialis: imò ab Hiſtorico quodam illius æui fuiſſe vocatum ſanctum Anaſtaſium. De Iuſtiniano & Theodorâ Auguſtâ, qui tamen potentiâ fuerant vſi in perniciem Eccleſiæ, affirmat eos appellatos fuiſſe nihilominùs à Patribus VI. Synodi Conſtantinopolitanæ ſanctum Iuſtinianum, ac ſanctam Theodoram; ſed & Theodoricum Arianum Regem, ſanctum Theodoricum dictum eſſe in Concilio Romano; atque adeò Valerianum Ethnicum, ſanctiſſimum Principem à diuo Dionyſio martyre Alexandrino. Nimirum meretur maieſtas eorum, finitima Deo in terris, meretur, inquam, ſanctas & diuinas appellationes; nec iis priuari Romanus Pontifex debet, cùm ſit, præ omnibus in terris, Vicarius Dei.

7. Reprehenderet Molinæus aliquantò

æquiùs fratres ſuos,qui Suecorum Regem appellarunt Deum. Inter multa enim edita publicis typis iniurioſè, contra Catholicos,iconem vidi ad me tranſmiſſam,dum eram Coloniæ, ab Illuſtriſſimo ſimul & humaniſſimo Principe Franciſco ab Hatzfeldt,Herbipolenſi & Bambergenſi Antiſtite, quæ icon referebat Auguſtam vrbem, iacentem inſtar Matronæ afflictæ, cum hac Epigraphe magnis characteribus exaratâ, *Auguſta anguſtiata à Deo,per Deum liberata.* Exprobret ſuis hæc palponibus Molinæus; & ſciat aliquos iudicaſſe, non eueniſſe ſine conſilio ſecreto diuinæ vltionis,aut prouidentiæ, vt Suecus Rex obierit ſtatim poſt monetam argenteam percuſſam icone Chriſti Domini & ſuâ; & inſcriptam hac Epigraphe communi, *Saluator mundi ſalua nos.* Sicut Dei titulus fuit communis in antedictâ icone Auguſtanæ ciuitatis. Obiter contra eiuſmodi ſacrilegas adulationes luſit feliciter is, qui ad hoc Anagramma SVED DEVS, addidit Chronographicum, InVersVs DeVs à Vero Deo DeVICtVs.

CAPVT V.

Confutantur aliæ calumniæ Molinæi aduerſus opes Eccleſiæ Romanæ.

I. VOcor iam ad alias ineptias. Molinæus ait, Pontificem, quia dicere nequit cum ſancto Petro, *Argentum & aurum non eſt mihi*, retibus ſuis ad mercaturam vti; & ſubdit paulò pòſt, eum dumtaxat aureum numerum, literâ Dominicali poſthabitâ, ſectari.

Le Pape ne pouuant dire auec S. Pierre, Ie n'ay argent ny or, ſe ſert de ſa naſſelle pour trafiquer: laiſſant la lettre Dominicale, s'eſt entierment adonné au nombre d'or.

Crediderim Molinæum vnum eſſe ex hęreticis illis, qui, ſedente Paulo Secundo, in Æquicolis agentes, exiſtimarũt nullos verè Chriſti Vicarios fuiſſe poſt diuum Petrum, niſi qui Chriſti paupertatem fuerint imitati. Ceterùm hanc ſudem infixam oculis hæretici omnes habent, & carpunt Pontificis Romani opes; quia nimirum vellent, vt quemadmodum olim ſanctus Petrus, ita ipſe iam, iuxta pauperem nauiculam, ſua reficeret retia; laboraret totâ nocte, & nihil caperet: poſteà inopem aggreſſi, in mare ipſum vnà cum nauiculâ protruderent, mergerentque, ac demum dicerent ſecuri: Valeat Religio, valeat conſcientia, ſed & anima valeat, nobiſcum Act. 3.

 inter-

Iſaiæ 22. interitura; *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.*

2. Profectò intereſt boni communis, vt Pontifex Maximus diuitias & potentiam habeat, quaſi camum & frænum ad conſtringendas maxillas eorum, qui non approximant ad Deum. Fuit verò vel ab ineunte Eccleſiâ in ſummis eius Præſidibus hic ſplendor & hæc magnificentia. Inſigne ſancti Ioannis Euangeliſtæ, tamquam Epiſcopi Aſiæ, erat Πέταλον aureum, vti ſanctus Polycarpus eius diſcipulus teſtatur. Refert ſanctus Hieronymus de ſancto Damaſo Pontifice, cui fuerat ab Epiſtolis, tantâ eum gloriâ fulſiſſe, vt in Pontificiâ illâ & ſupremâ dignitate longè omnibus Ethnicorum Flaminibus, & ipſi ſacrorum Regi anteiuerit: quin imò Ammianus Marcellinus Ethnicus ſcriptor, illud memoriæ tradidit; quando Damaſus electus eſt, Vrſicinum in ſchiſmate acclamatum Pontificem fuiſſe, atque obortos Romæ tumultus & cædes etiam; affirmauitque haud ſe mirari tantâ ſtudiorum contentione Romanum quæri Epiſcopatum, quandoquidem qui euectus ad eum foret, ditabatur piis oblationibus, vehiculis inſidebat, incedebat veſtitus circumſpectè, & viuebat domi cum apparatu pluſquam regio.

regio. Itaque iam tum Regale Chriſti Sacerdotium cum regiâ magnificentiâ coniunctum erat. Id verò cauſæ fuit, cur magnus ille Prætextatus, Romanorum omnium nobiliſſimus, & qui obiit Conſul deſignatus, ludens cum ſancto Damaſo, vt de ipſo refert ſanctus Hieronymus, dicere ſolitus fuerit: Conſtituite me Romanæ vrbis Epiſcopum, & protinus ero Chriſtianus.

3. Proxima fuit Epiſcoporum gloria, quos iuiſſe olim quoque ſtipatos famulis, ex eo liquet, quòd ſanctus Gregorius Papa dignum cenſuerit Pontificiâ reprehenſione Paſchaſium Neapolitanum Epiſcopum, euntem ad mare quotidie cum vno tantùm aut duobus Clericis; nam ea ſpecies, tum apud domeſticos, tum apud extraneos cedebat ei in contemptum, cùm nihil præ ſe ferret Epiſcopalis honoris ac dignitatis.

4. Sanè qui Dei atque Eccleſiæ eius gloriam amant, minimè offenduntur ex hoc apparatu magnæ fortunæ; ſed vel ipſam Salomonis gloriam vellent ſuperari. Si qui verò dubitent, an eæ opes iiq; honores ſtare poſſint cum magnâ ſanctitate, inſtrui debent reſponſo cælitus dato illi Anachoretæ, qui ſuſpectam ideò habuerat ſanctimoniam diui Gregorij Magni; cùm

 nimi-

nimirum audiuit, multò ſibi eſſe chariorẽ felem, quam in ſinu ſuo nutriuerat, quàm erat videlicet diuo Gregorio ea vniuerſa pompa Eccleſiaſtici Principatus. Alioqui vel à primis ſæculis primi Pontifices diui-
Matth.13. tiis, quæ ſpinæ in Euangelio appellantur, muniuerunt Eccleſiæ Hierarchiam inſtar roſæ: etiam eædem diuitiæ non ſuffocant Euangelij ſemen, quod eſt verbum Dei, niſi quando ſuperat ſollicitudo ſęculi iſtius & fallacia diuitiarum ſollicitudinem aliam pretioſiorem, quam Apoſtolus vocat ſollicitudinem omnium Eccleſiarum. Id eue-
2.Cor.11. niret, ſi ſpinæ ſeu diuitiæ occuparent ſementis locum: ſecùs ſi circa ſementem diſponuntur, inſtar ſepis, impediunt, ne ſingularis ferus, nempe Lutherus aliquis aut Caluinus, depaſcatur eam, néve vulpes eam, hoc eſt hæretici alij, demoliantur.

5. Vt abſoluam, minùs ad Romanum Pontificem pertinet præſens Molinæi calumnia, quàm ad ipſos Apoſtolos; ad quorum pedes ſuorum prædiorum pretia & prouentus primi Chriſtiani tulerunt. Re-
Act.5. præſentaſſe illis partem pretij, Ananiæ ac Saphiræ ſtetit ſubito interitu. Si Chriſtianorum bona, & iudicio quidem tam ſeuero, exigeret Romanus Pontifex; quid non diceret Molinæus? Eat nunc, & de ſancto Petro

Petro Apoſtolorum Principe affirmet, tunc ab eo ampliùs dici non potuiſſe, *Argentum & aurum non eſt mihi*; ſed ſuis imò retibus ad mercaturam vſum eſſe, ac ſectatum fuiſſe dumtaxat Numerum Aureum, poſthabitâ literâ Dominicali. Act. 3.

CAPVT VI.

An Pontifex mutauerit ſeras & portas regni cælorum.

1. MOlinæus id efficere ait Pontificem, vt tinniant claues, etſi earum commutauit iam ſeras: alludit verò ad cæleſtem & magnam illam promiſſionem: ***Et tibi dabo claues regni cælorum.*** Seræ ac portæ vel cæli vel inferni, plerumque in Scripturis ſacris nominantur illa, propter quæ mereri cælum vel infernum ſolemus. Videamus iam vtri has eaſdem ſeras vel portas immutauerint; Romanus Pontifex, an Lutherus, an Caluinus, an eorum aſſeclæ.

Faiſant ſonner les clefs, dont il a changé les ſerrures. Matth. 16.

2. Primo loco enumerauerim ſancta Eccleſiæ Sacramenta, à Chriſto Domino inſtituta, ab Apoſtolis tradita ac confirmata; à Romanis Pontificibus, quotquot ſancto Petro vſque ad VRBANVM VIII. ſucceſſerunt, conſeruata ritu & religione

conſtanti. Porrò hæ ipſæ ſeræ ac portæ cæli in Eccleſiâ Catholicâ manſerunt eædem à ſæculo ad ſæculum, manent iam, & deinceps manebunt: non igitur ſuſtulit eas, aut mutauit Romanus Pontifex; ſed ſuſtulerunt, & mutarunt fermè eas omnes, Lutherus, Caluinus, & eorum aſſeclæ: quia ſolum Baptiſmum retinuerunt; & cùm Euchariſtiam nomine tenus in vſu habeant, ſacram Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam Vnctionem, & Matrimonium expunxerunt: neganteſque in hoc poſtremo Sacramento pulchram illam ſignificationem coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ; ſicut Ethnici nuptias ineunt, quia etiam ſicut Ethnici viuunt.

3. Seræ item & portæ ſiue cæli ſiue inferni, ſunt opera ſeu bona ſeu praua. *Ita laboremus*, inquit ſanctus Auguſtinus, *vt nobis bonorum operum clauibus ianuam regni cæleſtis aperire poßimus: ſicut enim malis operibus, quaſi quibuſdam ſeris ac vectibus, vita nobis ianua clauditur; ita abſque dubio bonis operibus aperitur.* Nihil frequentiùs ſuadet Scriptura ſacra, quàm hominibus per opera bona cæli aditum patere. Ideò dicitur: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et Chriſtus, *Non*

Ser 252. de Tempore.

Matth. 5.

Non omnis, inquit, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Quemadmodum etiam iis, qui dicebant & non faciebant, *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Phariſæi hypocritæ; quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare.* Quòd ſi omnia deeſſent, ſola parabola de talentis in ſeruos diſtributis, ab hero peregrè ituro, ſola deſcriptio aduentus Filij hominis in maieſtate ſuâ, hæreticos omnes manifeſtè conuincerent. Continent enim, eos tantùm qui benè operati fuerint, audituros: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*; &, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* & alios ſecùs audituros: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.* &, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Has cæli portas æternæque vitæ ſeras retinuit ſemper eaſdem Romanus Pontifex: contrà mutauit eas Lutherus, mutauit Caluinus; & ex vitæ ſempiternæ albo eraſerunt opera bona, ſolamque ſufficere fidem

Matth. 7.
Matth. 23.
Matth. 25.

dem ſuaſerunt. Quaſi non dixerit ſanctus
1.Cor.13. Paulus: *Si habuero omnem fidem,ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero* (quæ eſt actuoſa, & operatur) *nihil ſum.* aut etiam quaſi ad tollendam omnem ab hac parte hæreſim ſanctus Iacobus in Epiſtolâ ſuâ Canonicâ diuinitus
Iacob.2. hæc non ſcripſerit: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſaluare eum?* & paulò pòſt: *Tu credis quoniam vnus eſt Deus; benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides conſummata eſt?* & item paulò pòſt: *Videtis quomodo ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm?* Demum concludit in hæc verba: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Quis hæc legat, aut conſideret, & non animo iraſcatur, tum illorum impudentiæ, qui aliter docent, tum aliorum hebetudini, aut ſtupori, qui aliter credunt? ſenſit pondus huius Oraculi Lutherus, & ideò deleuit ex indice Scripturarum Canoni-
carum

carum hanc ſanƈti Iacobi Epiſtolam, appellans eam inanem & ſtramineam: verè homo impos rationis, & redaƈtus ipſe ad ſtramen, ſicut equus & mulus cui non erat intelleƈtus. Deleat, ſi poſſit, Euangelium ſanƈti Matthæi, & vocet illud quoque ſtramineum; nam in eo pariter ad regnum æternum tantummodò inuitantur illi, qui nudos operuerint, qui curauerint languidos, & qui inuiſerint captiuos, & per alia miſericordiæ opera bonam viam ſibi ianuamque in cælum aperuerint.

4. Fruſtrà verò propugnaculum grande ſui dogmatis eſſe arbitrantur aduerſarij, Oraculum illud ſanƈti Pauli, *Iuſtus ex fide viuit*, acceptum ex Habacuc; nam quia fides viua includit opera, ſenſus eſt, iuſtum, hoc eſt, eum qui talis fuerit per opera iuſtitiæ, viuere ex fide viua; neque fidem mortuam, hoc eſt fidem ſine operibus in eo reperiri. Eſt itaque alia fides viua, alia fides mortua. Inuenitur illa in iuſto, cui ſuppetunt opera bona; & hæc in improbo, cui eadem opera deſunt. Idcircò cùm hæc opera Lutherus & Caluinus de medio abſtulerint; ipſi cæli portas & ſeras potiùs mutarunt. Rom. 1. Hab. 2.

5. Opportunè ad manus meas venerunt theſes, Oxonij, celebri Academiâ in

regno

regno Magnæ Britanniæ, recenter propoſitæ,quas Molinæo tranſmittam, vt tradat eas meditationi ſuæ, atque agnoſcat, vti in earum titulo legitur, bona opera eſſe efficaciter neceſſaria ad ſalutem.

Virtutes, Charitesq́, omnes, redeatis ad aſtra:
Non audent vobis aſtra negare locum.
Ecce negant homines: homines ſine Numine veſtro,
Eximium Fidei Numen ineſſe putant.
Gratulor, ô vobis, homines, hoc credere *veſtrum,*
Quod cælo cliuum non ſinit eſſe ſuum.
Quantorum facitis compendia quanta laborũ!
Credere *iuſtitia eſt omnis, & vna ſalus.*
At non ſic olim; tam mollis ſemita numquam
Heroum laſſos duxit ad aſtra gradus:
Sed labor, & virtus, & ſancta ſuperbia dextræ
Non facili pennâ ſtrauit in alta viam.
At neque tu, matris Fidei puer auree, credas
Cælis eſſe aliâ conditione fores:
Ni ſit, quæ tibi ſumma procul Spes ſidera monſtret;
Ni ſit inocciduâ qui face flagret Amor;
Ni non larga pius tibi pocula temperet vſus;
Ni iuſtam in trutinam pendeat æqua manus;
Ni vigili ſtet in arce memor, mentisq́, pudicæ
Seruet inacceſſas ſedula cura niues;

Tolle

Tolle tuam (nec enim Fidei fiducia tanta eſt)
Improbe tolle tuam, nomen inane, Fidem.
Vana Fides, vbi ſola Fides: dilectio vera,
Spes viua accedant; non aliunde ſalus.
His niſi ſit formata Fides, eſt mortua planè;
Proq; Fide, Fidei triſte cadauer habes.
Hæc ſunt, quæ ſibi regna vocant æterna; nec vmquam
Cælorum retulit præmia ſola Fides.

ERGO

Virtutum ſancta & ſpecioſa caterua ſalutem,
Diuino ex pacto, quam meruere, dabunt.

Exclamare liceat: O Carmen aureum, & ô Carminis aurei ſententiam planè gemmeam!

6. Iactant adhæc Euangelij reformati buccinatores, vnumquemque in propriâ fide ſaluari. quàm verò hæc via lata eſſet? Chriſtus Dominus contrà, *Quàm anguſta, inquit, porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Matth. 7. poſteaque ſtatim addit: *Attendite à falſis prophetis*: etenim hi portas cæli & ſeras earum vehementer mutarunt. Et profectò qualia ipſi monſtra in manſiones beatas Piorum introducere conati ſunt? ne cælum quidem Ethnicorum ea admiſiſſet vmquam; ſed cœpiſſet aduerſus ea tonare & fulminare, vocatuſque Hercules, ante Ibid.

ad-

admiſſionem eorum, exiſtimauiſſet (vt Senecæ verbis vtar) *ſibi tertium decimum laborem veniſſe.*

Seneca in ludo de mort. Claudij.

7. Certè ipſe Iulianus Apoſtata, tam de Luthero ebrioſo, quàm de Caluino & Bezâ pæderaſtis diceret perinde, ac olim de Traiano ad puerorum & vini amorem prono, eos non admittendos in Deorum conuiuium, niſi priùs cautum eſſet Ganymedi. Sed reipsâ ſanctus Paulus *maledicos, fornicarios, ebrioſos*, qualis fuit Lutherus, & *maſculorum concubitores*, quales fuerunt Caluinus & Beza, affirmauit neutiquam poſſeſſuros regnum Dei. Atque hos voluiſſe intrudere in cælum, fuit profectò cæli portas & ſeras earum immutare. Romanus Pontifex nouit cæli valuas ſacratioribus eſſe clauſas repagulis, quàm vt perditis iis & probroſis hominibus aperiantur.

Iulian. in Cæſar.

1. Cor. 6.

CAPVT VII.

Confutantur aliæ calumniæ Molinæi, quibus præſertim ait Romæ omnia vendi.

De ce chef la defluxion eſt tombée ſur le corps du Clergé, qui a re-

1. PRoſequens dicteria ſua Molinæus, affirmat ex capite vitiato, nempe Romano Pontifice, morbum defluxiſſe in corpus Cleri vniuerſum: atque

atque adeò eſſe conſtitutas rurſus in templo Dei menſas nummulariorum, ex eoque oriri vt Romæ cuncta ſint venalia, Deus ipſe, & peccatorum remiſſio. Videlicet gens ſancta, ſunt Huſſitæ, Lutherani, Caluiniſtę, Zvvingliani & Anabaptiſtæ; & ſe propterea metu infectionis, ab ægro illo capite ſepararunt. Attamen ſi adeſſet Chriſtus Dominus cum flagello, vtris diceret, *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum?* Nobis, qui retinemus templa, inſtar ſponſæ, ornata cælesti viro ſuo; an Sectariis eiſdem, qui ea expilarunt vbique, & reddiderunt veram ſpeluncam latronum? Neminem putem eſſe tam hebetem, qui non iudicet Chriſti flagellum ad ſolos eorum humeros pertinere.

dreßé la bancque dans le Temple. De là vient que tout ſe vend, Dieu meſme & la remiſſion des pechés.

Matth. 21.

2. Supercilio Phariſaico Molinæus videtur carpere piorum oblationes, dum ait in templo Dei iam eſſe de integro menſas nummulariorum. Eſtne hoc nouum? Nónne gazophylacia erant Ieroſolymæ, ad dexteram altaris holocauſtorum, pro pecuniâ exigi ſolitâ à prætereuntibus, hoc eſt, ab iis qui excederent à pueris, ineunteſque annum ætatis vigeſimum inciperent populo annumerari, quæ pecunia pretium

animæ dicebatur? nónne in gazophylacia eadem mittebatur quidquid ſponte, atque
4. Reg 12. *ex arbitrio cordis*, vt Scriptura ſacra loquitur, tribuerent Iudæi ex ære facto ſeu ſignato; quapropter laudauit Chriſtus Dominus viduam pauperculam in ea mitten-
Luc. 21. tem *æra minuta duo?* Sic olim in templis Chriſtianorum fiebant collectæ, quas pro concione ipſe Pontifex ſupremus ad deliberatam diem indicebat; deque iis colle-
S. Paulus 1 Cor. 16. Tertullian. in Apolog. ctis ſanctus Paulus, Tertullianus, & ſanctus Leo meminerunt. Quæ porrò eædem collectæ indicebantur, vt Chriſtianis qui Ieroſolymæ exuti bonis & fortunis fuerant, ortâ in eos perſecutione, à ſancti Stephani martyrio, eleëmoſynæ ſummitterentur; quemadmodum ad eos deinceps quoque miſſæ fuerunt vſque ad tempora Theodoſij.

3. Vt omittam oblationes à viris & matronis datas vſque ad inuidiam Imperatorum: qui cùm eſſent Ethnici, conati ſunt eas impedire ſanctionibus ſuis. quod Am-
Lib. 27. mianus Marcellinus teſtatur. Ne hoc Molinæus criminetur, & dicat iam tum in Eccleſiâ incepiſſe Deum vendi; Religioſi & Eccleſiaſtici omnes adferent pro ſe verba
1. Cor. 9. illa ſancti Pauli: *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? ..... Quis mili-*

militat ſuis ſtipendiis vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? ..... Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? ..... Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Sed nimirum Caluiniſtę, quoniam ſuſtulerunt altare, vellent ſublatas oblationes pariter, quæ fiunt altari & miniſtris eius; in altero impij & ſacrilegi, in altero inuidi & maledicentiſſimi. Eſtne hoc verò menſas nummulariorum rurſus in templo ſtatuere, Deumq́ue ac remiſſionem peccatorum vendere? videlicet tametſi oblationes pro peccatis acciperentur, imò exigerentur, nec inferrentur in ærarium templi, ſed in crumenam ipſam Sacerdotum, adhuc dici non deberet, vendi remiſſionem peccatorum. Perſuadebit facilè hoc Scriptura ſacra, quæ id fieri conſueuiſſe olim, & proculdubio citra omnē culpam, commemorat in hæc verba: *Pecuniam verò pro delicto,* 4. Reg. 12.
& pecuniā pro peccatis (hoc eſt, pro culpâ ſeu omiſſionis ſeu commiſſionis) *non inferebāt in templum Domini, quia Sacerdotum erat.*

4. Sed ſi peculiariter Molinæus hoc iaculum contorſit aduerſus Romanum Pontificem, tantum abeſt, Deum & peccatorum remiſſionem ab eo Romæ vendi, vt potiùs diſpenſationes omnes, quotquot pertinent ad forum conſcientiæ, concedantur cum his adſcriptis verbis ſemper, in tribunali ſacræ Pœnitentiariæ; *gratis vbique etiam quoad ſcripturam:* ſcribuntur tamen prolixe in membrana, & mittuntur quotannis magno numero in exteras Prouincias ad eos, quibus integrum non eſt Romam peregrinari. Gratis ſolent pariter dari plenariæ Indulgentiæ, & altaria priuilegiata, & in Apoſtolicis literis ſæpenumerò exprimitur ea conditio, vt ſi quid offeratur, aut accipiatur, gratia non valeat. Gratis demum abſoluuntur Romæ, quicumque Pœnitentiarios adeunt Baſilicæ, aut Vaticanæ, aut Lateranenſis, aut Liberianæ: tametſi tria illorum Collegia, in quibus vitam agunt, periti linguarum omnium orbis Chriſtiani ex ærario Eccleſiæ Romanæ ſuſtententur. Quæ iam peculiariter commemoraui, vt conſtet gratis quoque Molinæum calumniari, dum aſſerit vendi Romæ peccatorum remiſſionem, & Deum.

5. Iam Sectarios debeo interrogare; Num eorum

eorum Epiſcopi, aut Miniſtri, ducant ſibi religioni, res ſacras,& præſertim beneficia vendere? referam Hiſtorici vnius docti & accurati verba, qui hoc pacto mores eorum deſcribit: Poſtquam dixerat, *Illa tribuunt ſuis piſtoribus, coquis & agaſonibus, in longi & laborioſi ſeruitij compenſationem*; hæc addit: *Hæc vera eſt cauſa, quòd textores, circumforanei, chirothecarij euaſerunt miniſtri: quia nimirum viri doctiores recuſarunt eiuſmodi nundinationes. Sartor autem, vel chirothecarius, præclarè ſecum agi putat, ſi octo vel decem librarum incremento ſtatum ſuum emendare poteſt. Libenterq́; Patrono reliquum, quod Parocho iure debetur, cedit; modò ipſe de hac tali penſione poßit eſſe certus.* Sed & Miniſtrorum notæ ſunt illæ de Epiſcopis querimoniæ: *Quemadmodum Clerum ſubiectum prædentur & exhauriant: quemadmodum beneficia Eccleſiaſtica elocent, vel agros vel domum Parochi alienent, ob ſatis magnam pecuniæ ſummam ſuis ciſtis inferendam, vel ob munera vxoribus ſuis, aut liberis, aut officiariis, aut famulis perſoluenda: quorum tamen portio ad ipſos reueniat.* Hoc enim verò eſt, Molinæe, apud Sectarios tuos omnia vendi.

Hallinsbed in Deſcriptione Britanniæ lib. 2. c. 5.

In Admonit 2. ad Parlamentum.

6. Sed & Miſſas priuatas ait *Les Meſſes priuées ne* non celebrari, niſi pro illis, qui *ſe diſent que pour les*

ames de ceux qui ont donné à l'Egliſe : l'auarice ingenieuſe pince meſme ſur les ſepulchres; vn riche ne peut mourir à bon marché.

Eccleſiæ quidpiam dederint; auaritiam verò ingenioſam videri,& ſcalpurire ſepulchra ipſa, ſtudio lucri; ac demum pretio tenui hominem diuitem mori non poſſe. Si Molinæus Miſſale atque eius Rubricas legiſſet,non ignoraſſet pro quibuſnã toto anno Miſſæ in Eccleſiâ Catholicâ ſoleât celebrari. Res clarior eſt, quàm vt indigeat reſponſione prolixiori: quod attinet ad ſumptus diſſimiles pauperis & diuitis, quando moritur vterque vel tumulatur,ſi dentes Molinęo ita pruriunt, vt rodere ſepulchra etiã velit, per me licet; ſciat tamen inter nos plerumq; inſtitui funeris gloriam,pro copiâ eorum qui deceſſerunt; neque magnopere ad Eccleſiam hoc ſpectat. Ipſe, ſi lubet, curatorem funerum agat, & præſcribat, quonam pacto deceat vel oporteat mori hominem frugi. Carnificem perinde adire poſſet,ac monere,vt qui pro paupere plectendo humi, & ex æquo loco gladium ſtatim expedit, non exſtruat pegma vel theatrum pro diuite obtruncando; neque omnia veſte pullâ circumornet; clametque, pretio vili diuitem hominem plecti non poſſe.

7. Queri deberet pariter, olim diuites pretio æquali atque inopes naſci non potuiſſe;

tuiſſe; quando nimirum pro filio diuitis, agnus anniculus & pullus columbæ, pro filio inopis tantùm duo turtures, aut duo pulli columbarum exigebantur. Eat & adſcribat hoc etiam auaritiæ ingenioſæ, ſi lubet, Molinæus. Leuit. 12.

CAPVT VIII.

An rectè Molinæus ſentiat de Hierarchiâ Eccleſiæ, & de ſtatu Religionis, hoc tempore in Germaniâ & in Belgio.

1. Non poteſt, Molinæus inquit, maior mutatio eſſe in humanis rebus, quàm ſi è Regno ſpirituali prodeat temporalis Monarchia. Reſpõdeo, nos Hierarchiam ſemper eamdem in Eccleſiâ retinuiſſe; in quâ præcellit Monarchia, eaq́; ſita eſt in Romano Pontifice, cui ad conſilia & ad obeundas Legationes aſſidet ſacer ordo Cardinaliũ S.R.E. quemadmodum olim Pontifici Hebrȩorũ aſſidebant pariter ad Conſilia, & ſimiles Legationes, ij quos idcircò Apoſtolos nominarũt.

Ne peut y auoir vn plus gran changement, que d'vn Regne ſpirituel en faire vne Monarchie temporelle.

Epiphan. Hæreſ. 10. l. 14. Cod. Theod. de Iudæis. Card. Baron. anno Chriſti 32.

2. Huic tamen Monarchiæ admiſcetur aliquo modo Ariſtocratia: nam ſuos præterea Optimates Eccleſia, ſuoſque Principes habet, hoc eſt Epiſcopos, quibus iure

diuino ſuppetit auctoritas ad res fidei decernendas, & ad Eccleſiæ ſtatum ordinandum, quandocumque cogi Oecumenica Concilia oportuerit. Hoc regnum Dei conſeruauit Eccleſia ſtudioſiſſimè: & obuenit ei feliciter, vt experta ſit Oraculum illud; *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Nam ſimul ei contulit Deus regna mundi, præfuitque ipſi Vicarius Chriſti, ſimul Pontifex, ſimul Rex & Princeps Maximus: cum eâ verò honoris ac temporarij Principatus prærogatiuâ, quæ ſpiritualem Monarchiam non deſtruit, ſed prouehit in melius, rexit Eccleſiæ & Chriſti regale Sacerdotium. Contrà Hæretici, atque eorum inprimis Miniſtri, quia deſeruerunt Deum & regnum eius, ideò mundi regnum non habent, aut mundi Principatum, ſed opprobrio atque egeſtate miſeri vrgentur.

Matth. 6.

3. Quod ſpectat ad ſtatum præſentem Hæreſis in Germaniâ Belgioque, Molineus iactat, ſuam ſuperſtitionem eſſe purum putum & antiquum Chriſtianiſmum. Sed oſtendi iam alibi, non vt ouum ouo illam huic ſimilem eſſe, ſed magis, quàm ſit ouis ouo, eſſe diſſimilem. Dein addit, tempore parum conſentaneo Balzacum ſcripſiſſe, magnâ nunc fieri Hæreſeos

En vn temps auquel noſtre religion prend

reſeos

reſeos inclinationē, quoniam in Belgio & in Germania potiùs incrementum capit, atque adeò Eccleſia Græca aggregat ſe, ex ſolâ veritatis euidentiâ, Caluiniſtarũ Confeſſioni. De Belgio equidem ſuadeo, ne Molinæus plus nimio glorietur. Nam etſi potiti ſunt Batauí non ita pridem Siluaducis, Ruremundâ, Traiecto & Limburgo: attamen plurimi & præcipui auitæ Religionis ſunt retinentiſſimi;& dummodò excipiantur aduenæ ac milites,

vn ſi grand acroiſſement és Pays bas & en Allemagne, & auquel les Egliſes Grecques ſe rangent à noſtre Confeſſion, attirées par l'euidence de la verité.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto,

dum hæretica fit concio. Leodij propinquâ vrbe habito, neque rem incognitam ſcribo. Item ea pars Germaniæ, quam Sueci, & Principes cum eis fœderati ad Rhenum & ad Mœnum occuparunt, Hęreſim veriùs dixerim patitur, quàm profitetur.

4. Hîc adigit me Molinæus, vt expendam, verùm ne illud ſit, quod de Rege Sueco iactat magnificè, & cupit à Balzaco deprædicari; nempe nihil ab eo violenter in vllis vrbibus factũ eſſe aduerſus Clerum Romanum. Sanè habuit ex-

C'eſt là ſans doute vne des loüanges que vous reſerués au Roy de Suede, d'auoir contribué à vne ſi bonne œuure, duquel, outre la valeur & les ſucces, vous exalterés la clemence, en ce qu'és places conquiſes il n'vſe d'aucune violence contre le Clergé Romain.

empla maxima ab antiquis Regibus nationis ſuæ, tum clementiæ erga victos, tum Religionis, aut ſaltem verecundię erga omnia illa quæ noſtræ Orthodoxæ fidei ſacra erant. Alaricus Gothorum Rex, cùm vrbem Romam victor intraret, quam proditione obtinuerat, militi ſuo inhibuit ſeuerè, ne quid inferret iniuriæ vel damni ciuibus adeuntibus loca ſancta, & Baſilicas præſertim ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Totila pariter Gothorum Rex Vrbem quidem incendit, ſed ciuibus pepercit, & prænuntiari à præconibus voluit, vt qui ſalui eſſe cuperent ab irâ victorum, defenderent ſe templorum religione. Vitiges Gothorum perinde Rex vrbem Romam obſidione graui premens, Baſilicas Principum Apoſtolorum, ſitas extra Vrbis mœnia, quamdiu obſidio fuit, tantâ eſt proſecutus veneratione; vt prohibitâ contumeliâ, permiſerit in eis Sacerdotes operari aris perinde, ac ſi hoſtis ipſe non adeſſet.

Baron. ex Hiſtoricis illorum temporum an. 410.

An. 550.

An. 538.

5. Iudicabunt poſteri, an eadem exempla poſſint referri de Gothorum præſenti bello. Saltem in ſacrâ æde caſtri Herbipolenſis eadem ſecuritas vel immunitas non fuit; cùm ibi quotquot intererant viri, partim laici, partim Religioſi, omneſque aut inermes aut togati, non armis modò, ſed

ſed ſecuribus crudeliſſimè fuerint trucidati. Quam lanienam eſto Guſtauus Rex non iuſſerit; ſed potuiſſet tamen præuidere & prohibere, inſiſtens veſtigiis Totilæ atque Alarici: ſiquidem profitebatur, fore ſe antiquæ Gothorum gloriæ reſtitutorem.

6. Admirabilis eiuſdem Alarici abſtinentia fuit, quando à milite admonitus, cuſtodiri in Eccleſiaſticâ domo, à virgine grandæuâ & venerabili, vaſa ingentia & pretioſa, quæ erant Baſilicæ D. Petri; fide optimâ iuſſit eadem referri, ſtipante latus virginis regio ſatellitio, cum exſertis gladiis. Dum interim, quaſi pompa duceretur, hymnos pios Deo ac ſanctis Apoſtolis, vno oris plectro, ſimul Romani & Barbari, per compita Vrbis emodularentur. Quo ſpectaculo multis excuſſæ lacrymæ fuerunt, atque adeò Ethnicorum non pauci amplexi ſunt Religionem Catholicam. Hæc exempla priſca noſtro hoc tempore Germania non vidit, cuius paſſim templa direpta & expilata fuerunt.

7. An pepercerint etiam honeſtati mulierum, malim ab aliis commemorari. Illud ſilere non poſſum, quando idem Alaricus Rex Romam cepit, adductam fuiſſe ab aliquo eius milite ad ſancti Petri templum mulierem formoſiſſimam, vt ibi vi-

ro

ro ſuo intacta loci religione ſeruaretur. Sed &Totila Rex in fidem ſuam recipiens Neapolim, vrbem fame domitam, pudori mulierum tum edicto, tum exemplo eo graui conſuluit, quòd armigerum proprium ſibique in paucis carum, fruſtrà intercedentibus Centurionibus & Tribunis, iuſſerit nihilominùs, ob illatam vim ingenuæ puellæ, plecti capite; affirmans ſtare imperia non poſſe, ſi diſciplina remitteret, aut labaret.

8. Peculiariter an rectè Molinæus affirmet, nihil violenter actum fuiſſe contra Clerum Romanum, conſtaret omnibus, ſi hoc loco infererem funeſtam narrationẽ, cui titulus erat, *De Crudelitate Suecicâ*. Continet ea nimirum, in ſolâ Orientali Franciâ, exercitas crudelitates omnino barbaras contra Eccleſiaſticos viros, & aliquibus aut manus aut pedes exuſtos, aliis nares aurés ve abſciſſas, detractam quibuſdam è cranio cutem, nonnullos viuos in terram defoſſos, contuſaq; aliis ora, & dẽtes excuſſos.

9. Scio tamen Regem ipſum talia non patraſſe, quippe altæ indolis Principem; qui excepit interdum alloquio benigno viros & Eccleſiaſticos, & Religioſos, imò ipſos Ieſuitas, quod miratur vehementer Molinæus; atq; addit, à Ieſuitis eumdem Regem appella-

Et meſmes y laiſſe des Ieſuites, leſquels ayans n'agueres appellé ce Roy

pella-

pellatum fuiſſe Antichriſtum: & nihilominùs fuiſſe poſteà in Collegiis eorum per declamationes laudatum. *l' Antichriſt, maintenant en leurs Colleges font des declamations à ſa loüange.* Falsò tam multa Molinæus effert, vt deliberauerim etiam iurato nihil credere, ſed expectare tabulas ac teſtes publicos. Cedo quis Ieſuitarum eo ipſum nomine compellauit? quo in volumine, in quo voluminis libro, in quo eius libri capite, in quâ paginâ? Si tamen id Ieſuitarum aliquis dixerit, ſcripſerit, ediderit que; an non ſæpiùs Lutherani & Caluiniſtæ Antichriſtum vocarunt Romanum Pontificem? exſtant de eo argumento integri codices, nec alio titulo inſcribuntur. Eſt tamen ipſe magnus Princeps, opibuſque & liberâ ditione Sueco non impar; Reges habet beneficiarios; eique à Regibus potentiſſimis & glorioſiſſimis tantus exhibetur honos, quantus ab illis nec Sueco, nec vlli Principum aliorum exhiberetur. Ne putet verò Molinęus, Reges dumtaxat Religionis noſtræ Pontificem ita venerari; ipſe Carolus Stuardus Rex Magnæ Britanniæ prudentiſſimus, & in ætatis flore ac magnâ fortunâ moderatiſſimus, ſcribens ad Gregorium Decimũ quintum, dum in Hiſpaniâ erat, eum idemtidem vocat *Sanctiſſimum Patrem*, & iterat in Epi- In Mercur. Gal. to. 9.

Epiſtolâ ſæpiùs titulum *Sanctitatis eius.* Nihilominùs eumdem Pontificem à Sectariis ſuis Antichriſtum appellari, Molinæus nihil admodum eſſe arbitratur, & camelum deuorans, tuſſire incipit, ac ſtrepere, ſi Ieſuitarum aliquis Antichriſtum appellauerit Regem Suecum.

10. At potiùs illud indignum putat Molinæus, eumdem Regem à Ieſuitis per ſummam inconſtantiam ſimul laudari: ſi ita eſt, meminerit quæſo Ieſuitas plures eſſe, & plura ſingulis ad loquendum ora ſuppetere: alioqui malè nobiſcum ageretur, quia ſi omnes vnum os haberemus, inueniri aliquis poſſet, qui ex charitate Caluiniſticâ, illud obſtruendo, ſuffocaret omnes. Poterit proinde vnus Ieſuita Regem Suecum vocare Antichriſtum, & alius eum nihilominùs commendare. Maior fuit inconſtantia, vnum Martinum Lutherum, eodem & anno, & fortaſſe etiam menſe ſcripſiſſe ad Leonem Pontificem in hæc verba: *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero, cum omnibus quæ ſum & habeo. Viuifica, occide; voca, reuoca; approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mori non recuſabo.* In reſponſione verò ad Epitomen

Gaſp. Vlenberg. in Vitâ Luth. ad an. 1518.

tomen Silueſtri Prieratis hæc longè alia effudiſſe: nempe, *Si Romæ ſic ſentitur & docetur* (hoc eſt, ſicut ille ſcripſerat) *ſcientibus Pontifice & Cardinalibus, quod non ſpero, liberè pronuntio his ſcriptis, Antichriſtum illum verum ſedere in templo Dei, & regnare in Babylone illâ purpuratâ Româ, & Curiam Romanam eſſe ſynagogam ſatanæ.* Ibid.
Demus, Regem Suecum Erfforti, Monachij, aut in alio Collegio fuiſſe à Ieſuitis laudatum: erat in multis laudandus, ob rei militaris peritiam, ob ſucceſſum præliorum, ob expeditionum celeritatem, ob alacritatem tum in laboribus ſubeundis & ſuperandis, tum in ſpernendis periculis, ob Ducis ſtrenui prouidentiam: neq; enim in eo multi, ex Catholicis etiam, deſiderauere aliud quàm Religionem & bonam cauſam. Quippe honorandi ſunt Principes, non Chriſtiani modò, ſed Ethnici quoque, ex Apoſtoli præſcripto. Si Suecum Regem Ieſuitæ laudauerint, hoc egerint ſobriè, nec eum aut Seruatorem mundi, aut Deum appellauerint: hoc egerunt potiùs Lutherani & Caluiniſtæ, Arianos Epiſcopos imitati; qui Conſtantium elatum propter victoriam de Magnentio tyranno, & ſubſcribentem manu ſuâ propriæ æternitati, appellarunt Imperatorem æternum,
cùm

cùm tamen Filium Dei eſſe æternum impij negarent.

11. Iam paucis diſpiciamus illud quoque quod iactat Molinæus, Eccleſiam Grecam aggregari, atque adiungere ſe Caluiniſtarum Confeſſioni. Ergóne Aſia, quanta quanta eſt, Caluinum ſectabitur? Molinæus, ſi ita fuerit, deſeret æquiori animo titulum, quem antehac vſurpauit, *Paſtoris Eccleſiæ Pariſienſis*; diceturque Paſtor & Epiſcopus Aſiæ, atque ſurripiet glorioſum eum titulum ſancto Ioanni Euangeliſtæ, vt deprauet liberiùs Euangelium eius. Ceterùm ſi ea fiet aggregatio, non veritatis euidentiæ, ſed conuenientiæ falſitatis adſcribenda erit. Græci in Spiritum ſanctum iniurij ſunt, dum eius à Patre & Filio proceſſionem negant. Sectarij iam affirmant, cuiuis ineſſe Spiritum ſanctum, tamquam Iudicem controuerſiarum fidei: quoties verò ſibi duo inuicem contradicunt, fateri debent, Spiritum ſanctum in alterutro mentiri, & ſunt ideò ei admodum iniurioſi. Græci & Sectarij ab Eccleſiæ Orthodoxæ ſupremo Capite abſciſſi, Primatum Petri in eo non agnoſcunt; vtrique nuptias Sacerdotio agglutinãt: ſed ſoli ſunt damnandi ab hac parte hæretici, quia Græci fines rei ab Eccleſiâ iam olim ipſis

con-

conceſſæ non excedunt; at ipſi quoſcumque deſertores inſtituti religioſi, aut contemptores Ordinis ſacri, nuptias ſacrilegas inire iubent.

12. Quid credere prudenter tamen poſſimus de Caluiniſmo in Græciam recepto, definire id equidem in præſentiâ nequeo. Scio Conſtantinopoli miſſos anno M. DC. XXVII. in Batauiam plures adoleſcentes Græcos à Cyrillo Patriarchâ ſchiſmatico, vt hæreſis Caluinianæ dogmatis imbuerentur. Quam retulerint famam Religionis in patriam, ignoro. Si ex re ſimili conicere exitum liceat, exiſtimo nihilo plus eos effeciſſe, quàm cùm anno M. D. LXXV. Lutherani Tubingenſes, VVittenbergenſes, & Roſtockiani, à Scriptoribus Catholicis nouitatis & hæreſeos damnati, Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani communionem, tranſmiſsâ ei Confeſſione Auguſtanâ, emendicarunt. Reiecti enim ſunt, & ter eorum Confeſſio confutata eſt; prodiitque non ita multò pòſt cenſura Eccleſiæ Orientalis, edita à Staniſlao Socolouio. Multò id æquiùs decernetur de Caluiniſmo; cùm erroribus & fraudibus maioribus ſcateat, ſeditioneſque perpetuò machinetur. Annus certè à miſſione antedictâ iuuenum Græcorum non penitus

Spond. in Auctar. an. 1627.

Idem an. 1575.

fuerat euolutus, quando ingens commota eſt Conſtantinopoli tempeſtas contra homines noſtræ Societatis; & tantùm vertere ſolum à Turcarum Imperatore iuſſi non fuerunt, quia interceſſit patrocinio ſuo Regis Chriſtianiſſimi Orator: potiſſimùm verò id crimini dabatur, quòd impediuiſſent, ne vulgarentur elementa hæreſis Caluinianæ, typis excuſa, vt Græca iuuentus eo veneno inficeretur. Quamquam non diſſimulauerim, ſpem Molinæi præcipuam de magno ſectæ Caluinianæ apud Græcos incremento trahi ex ſimilitudine maximâ, quæ eſt inter eamdem ſectam & Mahumetiſmum: quam ſimilitudinem exprimit egregiè Guilielmus Reginaldus in Volumine ſatis magno, quod ab eo inſcribitur Caluino-Turciſmus; id eſt Caluiniſticæ perfidiæ cum Mahumetanâ collatio, & dilucida vtriuſque ſectæ confutatio.

CAPVT IX.

Refellitur calumnia Molinæi, quâ docere ait Ieſuitas, occidi poſſe Principes & Reges, & ex eorum Gymnaſiis plurimos parricidas prodiiſſe.

Combien qu'ils en-

1. SEdani Molinæus hoc ipſum mihi obtrudere in alloquio auſus eſt; & tum

tum reſpondi fermè in hæc verba: Henricus IV. potentiſſimus & ſapientiſſimus Rex agens pro tribunali, & exponens Senatui Pariſienſi cauſas, propter quas Ordinem noſtrum in Gallias reuocaret, cùm in vitam & mores noſtros diu & ſedulò inquiſiuiſſet, negauit Ieſuitas docuiſſe vmquam, Reges occidi iure poſſe. Interrogaui proinde vtri habenda fides eſſet; Molinæo, an tanto Regi? Adhæc vrſi, vt vel vnum Scriptorem proferret, qui vmquam ita ſenſiſſet vel ſcripſiſſet in Societate noſtrâ: & cùm ſolus Ioannes Mariana docuerit, poſſe Tyrannos occidi; petij, an exiſtimaret nullum diſcrimen eſſe inter Tyrannum & Regem, Regisque ſanctum, Deo charum & populis venerandum nomen? Quòd ſi adhuc vellet Regis & Tyranni nomina confundere, rurſus petij; cur, quod vnus Ioannes Mariana docuit, hoc tribueret Societati vniuerſæ, & non potiùs ei tribueret, quod in eâdem Societate Scriptores omnes alij docuerunt; præſertim quia ſententiam Marianæ Societas ipſa damnauit, atque prohibuit, priùs quàm damnaretur ab Ampliſſimo Senatu Pariſienſi.

ſeignent à tuer les Roys, & que de leur Eſchole ſoiët ſortis pluſieurs parricides.

2. Vt iam hæc reſponſio mea explicatiùs in re tanti momenti prodeat, ordior denuò à teſtimonio Henrici IV. quod

conceptis his verbis Rex Maximus dedit: *Nec vmquam inuentus eſt, qui à Societatis hominibus necem Regum didicerit: quare totum hoc quod illis obiicitur, vaniſſimum eſt. Triginta & ampliùs anni effluxerunt, cùm in Galliâ iuuentutem excolit, centumq́ ſcholaſticorum millia ex eorum Collegiis aut ſtudia abſoluerunt, aut ad ea, quæ Iuriſprudentiæ ſiue Medicinæ ſunt, acceſſerunt. Anne iſtorum aliquis, id ſe didiciſſe vel audiuiſſe ab iis, faſſus eſt?*

Anton. Poſſeu. 2. Tom. ſacri Apparatus.

3. Attexam teſtimonium alterum Illuſtriſſimi Henrici Gondij Epiſcopi Pariſienſis: *Cùm poſt crudele*, inquit, *in defuncti Regis perſonam, quem Deus abſoluat, perpetratum parricidium, plurimi rumores hac ciuitate Pariſienſi, in ſummum Patrum Societatis damnum, diſſeminati ſint: Nos eiuſmodi Societatis honori ac famæ prouidere optantes, animaduerſo quòd non aliunde, quàm ex peruerſo atque inimico aduerſus dictos Patres animo huiuſmodi rumores proceſſerint, omnibus, quibus intererit, manifeſtamus, præfatos rumores meras eſſe calumnias & impoſturas, malitioſè contra ipſos conquiſitas & inuentas, in Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Religionis damnum. Atque prædictos Patres non modò penitus ab eiuſmodi calumniis immunes eſſe, verum etiam*

Apud Ioãnem Argentium, in Apologetico de Societ.

iam ipſorum Societatem, tum propter doctrinam, tum propter piam vitam, Eccleſiæ Dei maximè vtilem, & huic Regno valdè proficuam eſſe. In quorum fidem,&c.

4. Tuetur nos prætereà aduerſus cruentam iſtiuſmodi calumniam, amor ille Henrici IV. quo dum teſtamentum conderet, non in ſecundis heredibus, neque in imâ cerâ Societatem ſcripſit; ſed ſuum illi Cor, id eſt, fontem amoris legauit. Atque hoc beneuolentiæ pignus Ludouicus Rex Decimustertius, glorioſiſſimus tanti Parentis Filius atque heres, æſtimauit meritò; dixitque ideò in Regio diplomate, confirmans Societatis reſtitutionem: *Domino ac Patri noſtro adeò probati ſunt, vt in ipſorum manus proprium Cor deponere ſtatuerit. Quod quidem poſt eius obitum ipſis traditum, & in Flexianum templum delatum fuit.* Peto iam obiter, cur Caluiniſtis Henricus IV. ex teſtamento ſuum Cor potiùs non dedit? Reſponſio in promptu eſt, quia nimirum nouerat, quàm iniurioſè, & in corpus Franciſci Secundi, & in ſtatuam Ludouici XI. Caluiniſtæ olim ſæuierint. Cùm prætereà Ludouicus Iuſtus primogenitus, & ſpes florentiſſimi Regni, ſtatim ab obitu eiuſdem Henrici, communi ſuffragio atque conſenſu Sereniſſimæ Re- **In diplomate Regio.**

ginæ Matris, Conſanguineorum Principum, ac ſummi Senatus Pariſienſis, Petro Cotono Ieſuitæ creditus fuerit inſtruendus educanduſque in his quæ ad pietatem ſpectant, & ad veram Religionem; ij hoc deliberaſſentne vmquam, ſi Ieſuitæ ſuſpicione vllâ patrati parricidij aſpergerentur? cur potiùs electus ad id muneris non fuit Petrus Molinæus, qui fortaſſe iam tunc agebat Carentonij, & vt extenderet cum ſole famam, venditabat ſe *Paſtorem Eccleſiæ Pariſienſis?*

5. Ne multis; cùm in Galliâ, in Hiſpaniâ, in Poloniâ, in Germaniâ, Cæſar, Reges & Proceres magni, hominibus Societatis ſingulariter ſoleant patrocinari, eiſque aliqui etiam conſcientias ſuas aperiant, atque adeò cuncti educationem iuuentutis in pietate ac bonis artibus eiſdem acceptam referant; enimuerò aut cæca inuidia, aut clara eſt amentia, velle Societatem iſtius criminis inſimulare. Aliter iudicarunt quidem interdum Reges Sectarij; ſed excuſandi ſunt, quia eiuſmodi perſuaſionem Miniſtri, velut triſtes vlulæ, ac funerei bubones, ipſis iniecerunt. Idcircò Sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex Iacobus Stuardus id aliquando exprobrauit; ſed Robertus Cardinalis Bellarminus, etſi erat

miti

miti vir ingenio, continere ſe non potuit, quin ad libri eius marginem, dum id primùm legeret, adſcriberet, atrociſſimam eam eſſe calumniam. Guſtauus Rex Suecorum pariter, quo tempore Stockolmij damnauit capite, causâ religionis, tum eum quem habuit à ſecretis, tum alium Catholicum, vnius municipij conſulem, cuidam Sacerdoti è Societate noſtrâ, quem ſimul in vinculis habuit, dixit in quæſtione, conſtare ſibi, eo ipſum conſilio in Sueciam veniſſe, vt ſe Regem interimeret; addiditque Ieſuitis hoc ex Regulâ præſcribi. Quoniam verò alter, vti erat aperti & ſinceri animi, negauit hanc Regulam ſe vmquam audiuiſſe; excepit Rex: Quàm tu es igitur malus Ieſuita, qui proprias Regulas ignoras. Sed enim, vt dixi, iudicant aliter Reges & Principes, quibus notæ leges ſunt, noti mores, ac nota etiam doctrina Ieſuitarum.

6. De quâ peculiariter doctrinâ vt diſtinctè agam; quoniam de Tyrannis ſolus Ioannes Mariana cenſuit, eos occidi poſſe, nec niſi poſt ſententiam, de eorum gubernatione tyrannicâ, latam auctoritate publicâ, vel ſi adſit eruditorum conſenſus, communiſque populi vox clamet, hunc vel illum Principem tyrannum eſſe: nihilo-

minùs hanc eius opinionem atque ſententiam adeò non probauit Societas, vt contra eam potiùs Pater Claudius Aquauiua Generalis Præpoſitus, grauiſſimam in hæc verba ediderit ſanctionem: *Quandoquidem Societatis Scriptoribus ac Theologis, qui docent, ceteriſq́; aliis operariis, haud ſatis eſt id ſolum prouidere, quod in aliorum Scriptorum libris reperitur; ſed illud etiam apprimè conſiderandum, ſintne opiniones validis nixæ fundamentis, tutæ, probatæ, ſcandalis aut aliis incommodis minimè obnoxiæ: ideò ſanè iuſtiſſimas ob cauſas, quæ ad hoc conſilij nos impellunt, præſenti decreto præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna excommunicationis & inhabilitatis ad quæuis officia, ſuſpenſionis à diuinis, & aliis arbitrio noſtro reſeruatis; ne quis deinceps noſtræ Societatis Religioſus, publicè aut priuatim, prælegendo ſeu conſulendo, multò etiam minùs libros conſcribendo, affirmare præſumat, licitum eſſe cuicumque perſonæ, quocumque prætextu Tyrannidis, Reges aut Principes occidere, ſeu mortem eis machinari. Ne videlicet iſto prætextu ad perniciem Principum aperiatur via, atque ad turbandam pacem, eorúmque ſecuritatem in dubium vocandam. Quos potiùs, ex diuino mandato, reuereri atque obſeruare oporteat, tamquam perſonas ſacras, à Domino*

Apud Andream Eudæm. in Apolog. pro P. Henrico Garneto.

mino

mino Deo, pro felici populorum gubernatione, in eo gradu conſtitutas. Prouinciales autem, qui aliquid horum reſciuerint, nec emendauerint, aut non præuenerint eiuſmodi incommoda, efficiendo vt hoc decretum ſanctè obſeruetur, volumus eos non ſolùm prædictas pœnas incurrere, ſed etiam officio priuari. vt ſic omnes intelligant, quis ſit eâ de re Societatis ſenſus; neque priuati vnius error ſuſpectam reddat Societatem vniuerſam: quamuis apud æquos rerum æſtimatores certum ſit, partis vnius aut membri culpam toti corpori reliquo attribui iure non debere. Volumus prætereà, vt Prouinciales de hoc accepto decreto certiores nos faciant; idémque per ſuam quiſque Prouinciam curent promulgandum, & in ſingulis domibus & Collegiis referendum in libros ordinationum, ad perpetuam eius memoriam.

7. Ea ſupremi Capitis vox, & formulæ pœnarum ac cenſurarum in Societate non vſitatæ, poſſent eſſe abundè apud æquos Iudices, efficereque vt ſit comperta veritas. Attamen par eſt quodammodò ſubſcribant etiam ex eâdem Societate Scriptores præcipui, ac proinde minimùm vicenos producam, qui ſuum in eam rem ſuffragium ferant.

8. Gregorius de Valentia, qui primus

ex Societate edidit eruditos Commentarios in vniuerſam ſummam Theologicam
3. Tom. diſp. 5. q. 8. punct. 3. ſancti Thomæ; *Vel eſt*, inquit, *Tyrannus non per arrogatam ſibi iniuſtè poteſtatem, ſed ſolùm per prauum & communitati exitioſum, legitimæ alioqui auctoritatis, vſum in gubernando; aut eſt Tyrannus per arrogatam poteſtatem, quam vi obtineat. Si eſt Tyrannus primo modo, nulli particulari licet eum occidere.*

9. Franciſcus Toletus vir purpurâ &
In Sum. l. 5. c. 6. eruditione Illuſtriſſimus, *Tyrannum*, inquit, *adminiſtratione, qui habet quidem verum titulum, ſed tyrannicè tractat ſubditos, non licet abſque publicâ auctoritate occidere; & aſſerere contrarium, damnatur vti hæreticum*
Seſſ. 15. *in Concilio Conſtantienſi.*

10. Robertus Bellarminus eâdem ſacrâ purpurâ, & doctrinâ, & ſanctimoniâ in toto Orbe Chriſtiano celeberrimus, poſtquam retulerat decretum Concilij Conſtantienſis, *Hunc articulum*, inquit, *ita damnauit Concilium, vt hæreticos cenſendos, & vti hæreticos puniendos eſſe decreuerit eos, qui eiuſmodi Articulum pertinaciter defendere voluerint. damnatus porrò Articu-*
In Apolog. ad Præfat. monitor. Reg. Angl. c. 13. *lus hæc habuit: Quilibet Tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vaſallum ſuum & ſubditum, etiam per clan-*

clanculares inſidias, vel ſubtiles blanditias, vel adulationes; non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeu confœderatione, factis cum eo, non exſpectatâ ſententiâ vel mandato cuiuſcumque Iudicis.

11. Franciſcus Suarez eminentiſſimus Theologus, *Dicimus ergo*, inquit, *Principem propter tyrannicum regimen, vel propter quævis crimina non poſſe ab aliquo priuatâ auctoritate iuſtè interfici*. & in eam ſententiam adfert multa. In Defenſ. Fidei lib. 6. c.4.

12. Alphonſus Salmeron, qui fuit Romani Pontificis Theologus in ſacro Tridenti Concilio; *Non licet*, inquit, *priuato propriâ auctoritate Tyrannum interficere: maximè ſi in pacificâ poſſeßione ſit, & armatus ſatellitio regnet.* In cap. 13. Ep. ad Roman. diſp. 5.

13. Nicolaus Serarius, clarus librorum diuinorum interpres; *In Concilij Conſtantienſis*, inquit, *Seßione 15. Hußianus hic damnatur articulus*: *Quilibet Tyrannus poteſt licitè à quocumque ſubdito interfici.* Retulerat etiam ex S. Thomâ, tum eum textum, *id priuatâ præſumptione non licet, ſed auctoritate publicâ*: tum eum alium; *magis iudicandus eſt Aod hoſtem interemiſſe, quàm populi Rectorem, licet Tyrannum.* Quæſt. p. in c. 3. Iud. Opuſc. 20. Lib. 1. de Regim. Principis c. 6.

14. Ludouicus Molina vir doctiſſimus; *Duobus modis*, inquit, *aliquis eſt Tyrannus. Alte-* De Iuſt. & Iur. tom 4. tr. 3. diſp. 6.

Altero; quia licet ſit verè dominus Reipublicæ, in quâ tyrannidem exercet; iniquè tamen atque iniuſtè eam adminiſtrat. Altero verò, quia non eſt Reipublicæ dominus, ſed eam vſurpatam habet, & oppreſſam. Tyrannum primo modo nefas eſt priuatis interficere.

15. Emmanuel Sà, in ſacris Literis, & in Theologicis diſciplinis egregiè verſatus, *Tyrannicè,* inquit, *gubernans iuſtè acquiſitum dominium, non poteſt ſpoliari ſine publico Iudicio.* Sic ipſe: quòd ſi non regno, multò minùs vitâ exui poterit.

In Aphor. ver. Tyrannus. n. 2.

16. Ioannes Azorius, magnus officiorum conſcientiæ magiſter, ne Tyrannum quidem illum occidi poſſe arbitratur, cui titulus regni deſit: *Quamuis huiuſmodi Tyrannus,* inquit, *ius & titulum non habeat in regno & principatu, facto tamen habet poſſeſſionem: à quâ deiici non poteſt, niſi priùs audiatur, & iudicetur.*

Inſtit. Moral. 2. p lib. 11. c. 5. q. 10

17. Martinus Delrius, quem illuſtrem fecit omnis generis eruditio; *Illum,* inquit, *qui iure ſucceſſionis electioniſue Princeps eſt, quamuis Tyrannus fiat, priuato non licet occidere.*

In Hercul. furent. Senecæ num. 920.

18. Leonardus Leſſius, ſingularis eruditionis Theologus, agens de Tyranno, qui cùm ſit verus Princeps, adminiſtrationem regni

regni flectit ad compendia propria, non ad publicum bonum, ſubditoſque onerat iniuſtis exactionibus, & leges ſibi vni commodas promulgat; *Talis*, inquit, *non poteſt à priuatis interimi, quamdiu manet Princeps.* Lib. de Iuſtit. & Iur. c. 9. dub. 4.

19. Iacobus Gretſerus, cuius calamus ſæpenumerò hæreticorum audaciam hebetauit, ſatis aperuit ſententiam ſuam tum in *Stigmate Miſenico*, aliiſque libris, tum in *Veſpertilione hæretico*, vbi poſt Marianæ opinionem, quam recenſuerat, & quam oſtenderat eſſe vnius Scriptoris ſingulare pronuntiatum; *Communior*, inquit, *ſententia eſt, numquam licitum eſſe, manus Principi, in Tyrannum ſecundi generis tranſformato, inferre, ante publicam & iudicialiter latam ſententiam; quâ hoſtis Reipublicæ ſolemniter declaretur, adeoq́; poteſtate, quâ potiebatur, ab his, quibus ius eſt, exuatur.*

20. Martinus Becanus, etiam ipſe Scriptor aduerſus hæreticos clariſſimus; *Qui eſt Tyrannus*, inquit, *poſteriore modo*, nempe ratione adminiſtrationis, *non poteſt à ſubditis interfici; vt definitum eſt in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. Et ratio eſt, quia verus & legitimus Princeps, etſi tyrannicè regat, manet tamen ſuperior. Ergo ſubditi debent ipſi obtemperare, & non interficere.* In Reſpõſ. ad Aphoriſ. Caluiniſtarum.

21. Se-

21. Sebaſtianus Heiſſius, confutans Caluiniſtarum Aphoriſmos; *Ego ſanè*, inquit, *meliorem pluriumq́ hunc ſenſum eſſe teneo, neminem priuatum, extra neceßitatem ſe ſuoſq́ defendendi, manus inferre poſſe legitimo Principi, ante publicam iudicialiter latam ſententiam, quâ Tyrannus hoſtisq́ Reipublicæ declaretur; adeoq́ poteſtate, quâ potiebatur, ab his quibus fas eſt, exuatur.*

C.3. ad 1. Aphor. n.97.

22. Ludouicus Richeomus, vir elegantiſſimæ facundiæ, poſtquam egerat de Tyrannis, qui alienum aut regnum aut Principatum vſurpant; *Alterum*, inquit, *illud eſſe aiunt Tyrannorum genus, qui more ac legibus ad regni adminiſtrationem acciti, more tyrannico tamen imperant, quos attingere aut lædere nemo priuatus debet, aut ſubditus. Hinc eſt quòd diuiniſsimus Princeps Dauid Sauli Regi numquam eſt auſus manus inferre.*

In Expoſtul. ad Henricum Regem pro Societate.

23. Andreas Eudæmonioannes, hoſtis & oppugnator hæreticorum acer iuxtà & elegans, tum alibi ſæpiùs, tum in Apologiâ pro P. Henrico Garneto, poſt multa in eamdem ſententiam, & poſt explicatum Canonem, *Cùm ſecundum. de Hæreticis, in 6. Ex quibus efficitur*, inquit, *primùm nemini priuato non modò in Principem, ſed ne in priuatum quidem ius vllum, ne poſt ſententiam*

In Apolog. pro Patre Henrico Garneto.

tiam

tiam quidem à Iudice pronuntiatam, vi Canonis eius eſſe. Ius enim eo Canone ſolis Principibus in ſubditos datur. Et poſt pauca: *Nihil eſt, quod proditionibus ſuis quidquam eo Canone priuati in Principes blandiantur: cùm ne in priuatorum quidem neque vitam, neque bona, nedum in Principes ius vllum habeant.* Sed multò plura diſſerüit poſteà de eodem argumento in Confutatione Anticotoni.

24. Iacobus Salianus, Scriptor Annalium veteris Teſtamenti locupletiſſimus, & accuratiſſimus, poſtquam narrauit, ab Aode Eglonem Regem, non vt populi Rectorem, ſed veluti hoſtem, auctoritate publicâ, atque auctore Deo interemptum, hæc ſubdit: *Ex quibus intelligitur, ſceleſtum planè prorſusq; nefarium eſſe ſicariorum quorumdam furorem, qui non Reipublicæ hoſtes, ſed legitimos Principes, populiq; Patres amantiſſimos, non Dei iuſſu & electione, ſed malo dæmone inſtigante, non totius populi conſenſione, ſed priuatâ temeritate, de medio tollere, aut quoquo modo violare moliuntur.* Ad Ann. Mun. 2669 n. 7.

25. Vincentius Filliucius Scriptor Moralium Inſtitutionum, Tyrannum ſolâ gubernatione *nullo*, inquit, *modo licet occidere priuato homini*. id verò confirmat, tum ex Conſtantienſi Concilio, tum quia Tract. 28. p. 2. de 4. præcep. Decal. n. 11.

ille

ille adhuc verus eſt dominus; nec Ius erga ſubditos amittit, ex nequitiâ ſuâ, vel ex prauâ Reipublicæ adminiſtratione.

26. Adamus Tannerus Theologus recentis, ſed magni tamen nominis: *Tyrannum*, inquit, *ſolùm quoad modum regendi, ſeu adminiſtrationem, quamdiu ſuâ legitimâ poteſtate non exuitur, occidere priuatis non licet.*

Tom. 3. diſp. 4. q. 8. dub. 3. n. 32

27. Poſſem Petrum Cotonum, Ioannem Argentium, Iacobum Gordonium, poſſem alios huius rei compellare teſtes: ſed vicenos veniſſe in ſententiam, ſatis nimirum videtur, vt conſtet, ne Tyrannos quidem, ac multò minùs Reges ex Ieſuitarum doctrinâ à quoquam occidi iure poſſe. Molinæus interim aut fateatur infantiam, ſi Scriptorum noſtrorum ſententiam in tot eorum Voluminibus non legerit; aut ſi mauult doctus videri, fateatur cruentam & atrociſſimam calumniam.

28. Prodiit etiam recentiſſimè, dum hæc ſcribo, calumnia eadem de Societate noſtrâ, in libello quem Auctor inſcribit *Stricturas politicas*, & in quo inprimis acerbiſſimè inuehitur in Iuſtum Lipſium. Sapit verò Miniſtrum aliquem, & eius non Spiritum ſanctum dixerim, ſed ſpiritum ſatanæ. Fruſtrà obgannit, & blaterat aduerſus virum, quem ſumma tum eruditio tum pruden-

dentia, maiorem inuidiâ, & compotem laudis æternæ, reddiderunt: quemque dum conſidero ab homine ferrei oris tam inclementer accipi, defenſum nihilominùs ab iniuriâ iudico. Venit quippe in mentem Symboli ſanè ingenioſi, quo vſus eſt Fridericus Dux Vrbini, dum circa igniarium ſilicem & ignitabula ſcripſit hoc lemma; *Non quouis teritur*: non enim ferro, ſed chalybe dumtaxat tangi debet ſilex igniarius, vt ſtricturas ſeu ſcintillulas emittat. Talis eſt Iuſti Lipſij gloria; etenim Scriptoris iſtius ferrei violentiâ teri aut lædi non poteſt; & ideò inanes omnino ſunt ſtricturæ eius. Auctor in Symbolis Heroicis l. VI. c. XVI.

29. Ceterùm cùm hoc obiter dixerim de Viro præſtantiſſimo, cuius famæ Patroni ac defenſores alij magis diſerti non deerunt; ad rem noſtram facit, incendiarium eumdem ſcriptorem, qui potiùs odiis quàm ſtricturis ardet, Regicidas paſſim Loiolitas ſeu Ieſuitas appellare; præter alias impudentiſſimas calumnias, quarum ferè dixerim plauſtra ex æquo in noſtrum Ordinem, atque in Romanum Pontificem, Regemque Hiſpanum, exonerat. Ei tamen & cuiuis eiuſmodi calumnias congerenti, ac præcipuè Molinæo, reſpondere glorioſo vtique patrocinio videtur Eminentiſſimus

Cardinalis de Richelieu, dum affirmat nocumento Ieſuitis non eſſe, ſed prodeſſe potiùs eis iſtiuſmodi mendacia: cũ omnes norint, magnum ipſorum decus eſſe, vituperari illo ex ore, quo accuſatur perpetuò Eccleſia Catholica; bona opera repudiantur; ſancti & Cælites calumniis impetuntur; Chriſto Ieſu irrogatur iniuria, & reus culpę Deus ipſe conſtituitur. Atque adeò dum ita concludit: Mihi nihil iam ſupereſt, quàm vt Deum ſupplex orem, impertiat vobis (nam alloquitur Miniſtros Carentonij) aquas de fontibus gratiæ ſuæ. Cùm enim calumnię auctorem ſuũ tingant, nec aſpergant infamiâ vllâ eos quos traducere fruſtrà conantur; vos aquis illis tantopere indigetis, quò eis poſſitis elui atque extergi; vt aquæ omnes Oceani vel Mundi vobis eluendis ſufficere non videantur.

Vous penſez nuire aux Ieſuites, & vous leur ſeruez grandement: n'y ayant perſonne, qui ne recognoiſſe, que ce leur eſt grande gloire, d'eſtre blaſmez de la meſme bouche qui accuſe l'Egliſe Catholique, reiette les bonnes œuures, calomnie les Saincts, fait iniure à Jeſus Chriſt, & rend Dieu coulpable. In libr. contra Miniſtros Carenton. initio c. 9.

Pour finir ce Chapitre, il ne me reſte qu'à ſupplier Dieu de vous departir les eaux des fontaines de ſa grace, puis que la calomnie noirciſſant ſon autheur, & non celuy qu'on en veut diffamer, ſans le pouuoir faire, vous en auez tant de beſoin pour vous lauer, que toutes celles de ce monde n'y pourront ſuffire. In fine eiuſdem c. 9.

30. Vnum inſinuo, antequam abſoluam, ſcopum, in quem collineant Molinæus & Mi-

Miniſtri ſodales eius, dum adeò inuehuntur in Societatis noſtræ doctrinam, alium non eſſe, quàm vt ei munus docendi inſtruendiq; iuuentutem aliquando adimatur: eodem vtique conſilio, atque olim Iulianus Apoſtata, cùm inhibuit Chriſtianis, ne publicè literas humaniores docerent: à quibus videlicet norat ſimul pietate, Chriſtianis moribus, & verâ religione imbui iuuentutem. Quamquam, vti vafro erat ingenio, conſilium tegeret, diceretq; eſſe potiùs Ethnicorum concinnè loqui, & græcari: atque adeò decere Chriſtianos infantiam & barbariem, quorum vtique ſapientia aliud nihil eſſe debuerat, quàm *credere*: Ideò exprobrat Molinæus ex Ieſuitarum Gymnaſijs multos prodijſſe parricidas: ſi tamen aliqui prodierint, & hoc dare nobis crimini velit; crimini etiam dabit Chriſto Domino, quòd ex ipſius Gymnaſio Iudas maximus parricidarum omnium prodierit.

Gregorius Nazianz. Orat. 1. in Iul.

CAPVT X.

Arguitur ſummæ impudentiæ Molinæus, oſtenditurque, hæreticos potiùs docere, occidi poſſe Principes & Reges.

1. MArtinus Lutherus claſſicum canet, qui ad initia ſuæ Apoſtaſiæ, Silueſtro Prierati reſcribens, ac refutans Epito-

Gaſpar Vlenberg. in Vitâ Lutheri ad an. 1518.

men eius, in ſecundâ epiſtolâ; *Si fures,* inquit, *furcâ, ſi latrones gladio, ſi hæreticos igne plectimus; cur non magis hos Magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus noſtras in ſanguine iſtorum lauamus?* Paulò antè ad eam lanienam Romaniſtarum, quos vocat, Imperatorem, Reges, ac Principes euocauerat. Interrogatus etiam, num eſſet licita coniuratio Smalcaldica, eo tempore contra Cæſarem inita, dixit ſententiam his verbis: *Quoniam hoc tempore tam dubio, tamq; periculoſo, multa poſſunt incidere, ſic vt non modò ius ipſum, ſed conſcientiæ quoque neceſſitas arma nobis porrigant, defenſionis causâ, fœdus iniri poteſt; ſiue Cæſar ipſe, ſiue alius bellum faciat.* Conſtat ab eodem Luthero paſſim Catholicos Principes vocari Tyrannos, Euangelij perſecutores, Dei hoſtes, lictores, porcos, ſues, beſtias, animalia fera, apros, vrſos, lupos, ſtultos, ſcurras, moriones, lendes capitis; ſub quarum lendium titulo edidit de illis probroſum canticum, vt eos magis redderet odioſos. Conſtat perinde, quàm fœdis iniuriis, edito libello, Henricum Octauum Regem Britanniæ onerauerit, quando is Defenſor fidei à Romano Pontifice meruit

Sleidanus l. 8. hiſt.

Ioannes Cochlæus in lib. qui inſcribitur Septiceps Lutherus.

ap-

appellari. Videlicet hoc eſt ſeruare illud; *Deum timete, Regem honorificate.* aut illud; *Subditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.* Lutherus tamen deteſtatur eam gratiam. aut illud; *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei.* Sed nimirum alia eſt voluntas Lutheri. Epiſt 1. Petri c. 2.

2. Zvvinglius, *Quando Rex*, inquit, *perfidè & extra regulam Chriſti egerit, poteſt cum Deo deponi: cùm autem in manifeſtè impios & delinquentes non animaduertit, extra regulam Chriſti ambulat; magis verò cùm ſceleratos prouehit, & innoxios prægrauat, vt cùm inutiles ventres, otioſos ſacrificulos defendit.* Deinde interminatur populis punitionem diuinam aliquoties, niſi Reges & Principes, quandocumque ita ſe geſſerint, & fuerint dyſcoli, deponant. Zvvinglius in Explan. art. 42.

3. Caluinus ſublimiori vſus oratione, *Abdicant ſe*, inquit, *poteſtate terreni Principes, cùm inſurgunt contra Deum: imò indigni ſunt, qui in numero hominum cenſeantur; ideoq; in capita potiùs eorum conſpuere oportet,* In 6. c. Daniel. v. 22. & 25.

quàm illis parere, vbi ſic proteruiunt, vt velint ſpoliare Deum iure ſuo. Parum fuit ſuadere, vt ſacra Regum capita conſpuantur; ſuaſit prætereà, vt conſpergantur crines eorum ſanguine: nam actum Geneuæ in Conciliabulo fuit de Franciſco II. Rege Galliarum, de Reginâ Vxore, de Reginâ Matre, eiuſque aliis liberis, de Dynaſtis, de Regni Optimatibus ad præfinitum diem trucidandis, Caluino inprimis auctore.

Surius l. 4. ad an. 1561. Petrus Carpentanus. Genebrardus in Chronol.

4. Beza, qui ſubſcripſit eidem Conciliabulo, non ille quidem Oraculum ex Arâ Superûm, ſed grunnitum ex harâ ſuum videatur emiſiſſe; dum pronuntiaturus, quid facto opus, de Reginâ Franciſci II. Matre, deque illius regiâ prole, dixit pro concione; ſcropham cum porcellis mactare ac diſcerpere oporteret.

5. Synodus Caluiniſtarum Bernæ habita anno M. D. LXXII. decretum hoc tulit: *Habeant Iudices & Præfecti omnes hoc axioma inſtar oraculi, numquam vt fidant ijs* (nempe Regi & Regijs) *qui toties & tam inſigniter fidem violarunt; nec vmquam arma deponant, quamdiu viderint eos perſequi doctrinam ſalutis, aut eius diſciplinæ diſcipulos.* Paulò pòſt: *Si Deo*, inquit, *placuerit mollire corda Tyrannorum, eoſq; mutare* (vt Caluiniſtæ nimirum euadant) *tunc bonâ*

cum voluntate omnes ſe ſubmittent ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales. Si verò malum ſit inſanabile, & diuinæ voluntatis ſit eos exterminare; tunc ſi Domino placuerit, aliquem Chriſtianum (hoc eſt, Caluiniſtam) *Principem ſuſcitare ad peccata iſtorum vlciſcenda, & populum ſuum liberandum, ei ſe Principi ſubiectos tradant, tamquam alteri Cyro diuinitus ad eos miſſo.*

6. Goodmannus Miniſter Anglus, ſententiam referens omnium Miniſtrorum Angliæ, Rhetiæ ac Geneuæ; *Quamdiu Principes*, inquit, *& Magiſtratus, etiamſi coram Deo impij ſint, ſceleſti & reprobi; exteriùs tamen curant Dei leges cuſtodiri & obſeruari ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiam: ſin verò audacter & ipſi leges Dei tranſgrediantur, & alijs idipſum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiam, quam aliàs ſubditi eis præſtare tenebantur; neque deinceps habendi ſunt pro Magiſtratibus, ſed puniendi tamquam priuati homines.* Dein oſtendit, poteſtatem ipſos puniendi penes populum eſſe iure diuino in hæc verba: *Si Principes & Magiſtratus omnes repugnant legi diuinæ, habetis vos, qui è populo eſtis, expreſſum verbi diuini teſtimonium pro parte veſtrâ: & Deus ipſe vobis Dux & ſignifer erit, qui præcipit non ſolùm Primoribus*

In lib. cui titulus eſt, Quemadmodum ſuperioribus magiſtratibus ſit obediendum, c. 9.

Cap. 13. 16.

ribus & Magiſtratibus auferre malum ex ipſis, ſiue idololatriam, ſiue blaſphemiam, ſiue apertam iniuriam; ſed hoc à totâ multitudine requirit, cui gladius iuſtitiæ ex parte commiſſus eſt. Ideoq; ſi Magiſtratus omnes ſimul deſpicere velint iuſtitiam & leges Dei, veſtrum eſt contra Magiſtratum alioſq; omnes, eos defendere & conſeruare quantâ maximâ vi & contentione poteſtis. Hoc enim Deus à vobis poſtulat; toti populo hoc onus incumbit, vt animaduertat in idololatram quemcumque: nemo excipitur, ſiue Rex, ſiue Regina, ſiue Imperator. Idem Goodmannus alibi, *Reges*, inquit, *ius regnandi à populo habent, qui occaſione datâ illud reuocare poteſt.*

In Admonit. ad Nobil.& Pop. Scot. atque Angliæ.

7. Knoxus, *Si Principes*, inquit, *aduerſus Deum & veritatem eius tyrannicè ſe gerant, ſubditi eorum à iuramento fidelitatis abſoluentur.* Idem prꝫter alia multa, *Illud*, inquit, *audacter affirmauerim, debuiſſe Nobiles, Rectores, Iudices, Populumq; Anglicanum, non ſolùm reſiſtere & repugnare Mariæ illi Iezabel, quam vocant Reginam ſuam; verùm etiam de eâ & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis ſupplicium ſumere, vt primùm cœperunt Euangelium Chriſti ſupprimere.* Hic tamen Knoxus à Caluino *vir inſignis, eximius & frater ex animo colendus*, à Beza *Euangelij*

Cal. Epiſt. 305. Beza Epiſt. 748.

apud

apud Scotos reſtaurator, à VVitakero, ex omnium Scotorum ſententiâ, *ſpiritu prophetico & Apoſtolico præditus* appellatur. VVitak. Cont.2. q.5.c.13.

8. Oſiander, *Nullus eſt*, inquit, *Dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus Epiſcopus eſt, dum eſt in peccato mortali.* & alio in loco, *Vulgus*, inquit, *pro voluntate ſuâ punire poteſt Principes peccantes.* In Epitom. Centur.9. & 17.

9. Buchanani hæc ſunt Oracula: *Populo ius eſt de ſceptro Regni diſponendi pro libitu ſuo. Populus Principem in ius capitis vocare poteſt. Optandum eſt vt præmia à plebe decernantur ijs qui Tyrannos occidunt, vt fieri ſolet ijs qui lupos cædunt.* Lib. de Iure Regni.

10. Caluiniſtæ ſunt ergo ij qui docent, Reges & Principes occidi iure poſſe; & ex ſolâ ipſorum Synagogâ prodit eiuſmodi laniena Regum. Dum verò peculiariter populo tribuunt poteſtatem in eos animaduertendi, immeritò in inuidiam vocant Romanum Pontificem, quem aiunt ſibi arrogare ſimilem poteſtatem. Vt ſapienter proptereà circa hoc punctum reſponderit eis in hæc verba, Eminentiſſimus Cardinalis de Richelieu: Ego efficiam, vt clarè appareat, vos tribuere auctoritatem multò maiorem populo, illâ quam negatis Pontifici; quod cede-

Ie feray paroiſtre clairement, que vous donnez vne puiſſance beaucoup plus grande au peuple, que celle que vous deniez

re poteſt in Regum magnum detrimentum. Nemo enim eſt, qui non iudicet longè ipſis periculoſius fore, vt ex populi arbitrio pendeant, cui ſæpenumerò perſuaſio erit duræ tractationis, tametſi ſecùs fuerit; qui eſt bellua plurium capitum; qui ſequitur plerumque ſuos perturbati animi motus. At huiuſmodi periculum non eſt, ſi Reges ſubmittantur correptioni vnius Patris, qui eſt charitate plenus erga filios ſuos.

au Pape : ce qui eſt grandement deſaduantageux aux Roys ; n'y ayant perſonne qui ne iuge, que ce leur eſt choſe beaucoup plus perilleuſe, d'eſtre commis à la diſcretion d'vn peuple, qui s'imagine quelques fois eſtre maltraicté, quoy qu'il ne le ſoit pas ; & qui eſt vne beſte à plusieurs teſtes qui ſuit d'ordinaire ſes paſſions ; que d'eſtre ſousmis à la correction d'vn Pere plein d'amour pour ſes enfans.
Cap.8. Reſponſ. contra Miniſtros Carentonij.

11. Sed non ij ſunt Sectarij noſtri temporis, qui doceant, & ea quæ docuerint, non faciant: multos eorum nefarios conatus in ſacroſancta Regum ac Principum capita recenſet idem Eminentiſſimus Cardinalis de Richelieu; nempe duos ab ipſis comparatos fuiſſe exercitus aduerſus Carolú V. vt imperio & vitâ eum exuerent. Adhæc ipſos gladium ſtrinxiſſe, ac ſtetiſſe in acie contra tres Chriſtianiſſimos Reges, Franciſcum II. Carolum IX. & Henricum III. Imò, regnante Carolo IX. auſos inſuper exponere nummos, percuſſos icone ac nomine

Surius an. 1547.

mine alterius,quem deſignauerant Regem. Mariæ Stuardę Scotię Reginę vincula procuraſſe, & eam coëgiſſe vt Regno abdicaret ſe; demum ceruices eius ſecuri fregiſſe. Ter aduerſus alteram Mariam Britanniæ Reginam ſigna intuliſſe; Philippum Hiſpanum Regem multis Prouincijs in Belgio ſpoliaſſe; Chriſtiernum Regem Cimbrorum exegiſſe Regno, & in vinculis veneno ſuſtuliſſe; Regi Polonię Sigiſmundo Regnū hereditarium Sueciæ ademiſſe, eiq́ue ſubrogaſſe Carolum Patruum; cui ſucceſſit filius Guſtauus Adolphus; denique Imperatori Rudolpho ſurripuiſſe Tranſiluaniam, quæ ipſi debebatur, tamquam Regi Pannoniæ.

12. Neminem latet Hugenottarum conſpiratio Amboſæ præparata contra Regem, & Regiam proſapiam; quando Caluini ſanguinaria ſecta, ſublato publicis ludis Henrico II. contemptaq́ue Regum tenerâ ætate, miſcere viſa eſt vniuerſam Galliam inteſtinis ſimultatibus. Fuerunt quoque Caluiniſtæ, qui Corpus Franciſci II. Regis in æde ſanctæ Crucis tradiderunt flammis, & qui ſtatuam Ludouici Regis XI. raptarunt & proturbarunt, abſciſſis cruribus, brachiis & capite, in cloacam. De quibus aliјſq́ue perturbati Regni motibus

Spond. in Auct. anno 1560.

Spondanus in Auct. ad an. 1560. 1563. 1567. 1589. bus ex furore Caluiniſtarum, eſt frequens apud Hiſtoricos mentio.

13. Doctrinæ huic actuoſæ Sectariorum ſubſcribit egregiè Sereniſſimus Iacobus Rex magnæ Britanniæ: nam de Puritanis, *Laudi*, inquit, *ſibi ducunt, Reges habere aduerſarios, omniaq; humana & diuina in Republicâ miſcere.* Poſteà memorans ea quæ in Scotiâ moliebantur; *Hîc*, inquit, *è Miniſterio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum diuinarumq; rerum confuſione, tam gratioſi ad plebem facti ſunt, vt deguſtatâ dominationis dulcedine, cœperint Democraticam Reipublicæ formam ſibi ſomniare; & primo Auiæ, deinde Matris meæ ſubuerſione elati (& nimiùm ſanè blandiebantur ij ſucceſſus) poſtremò pupillari meâ ætate ad Democratiæ ſuæ ſtabilimentum diu abuſi, iam poteſtatem tribunitiam ſpe certâ deuorauerant, vt in populari Republicâ, cùm plebem, quò vellent, facilè circumducerent, omnium negotiorũ momenta ſoli temperarent.* Alibi idem Rex, Puritanos ait vitæ ſuæ inſidiatos, dum adhuc in Genitricis ſuæ vtero erat: *Ego igitur*, inquit, *Puritanus, qui à Puritanis non ſolùm à natiuitate continuò vexatus fui, verùm etiam in ipſo Matris vtero propemodum exſtinctus, antequam in lucem editus eſſem?* Proinde addit: *Ego meipſum fiderem potiùs im-*

In Proœmio lib. Βασιλ. δῶρ.

Lib. 2.

In Præfat. monit.

immaniſſimis nemorum & montium latronibus, quàm huius generis hominibus.

14. Hæc dum animo mecum reputo, videntur Sectarij huius æui poſſe appellari Chriſtianorum antiquiſſimi ſaltem ideò, quia natam primo Chriſti anno hæreſim Galilæorum profitentur; & amore libertatis ebrij, perſuadere plebi conantur, Deum dumtaxat Dominum & Principem hominum eſſe: cuius hæreſis inuidiâ tingere Chriſtum & Apoſtolos eius, vtpote Galilæos, illi ex diui Hieronymi ſententiâ voluerunt, qui rogarunt, num Cæſari tributum ſoluere liceret. Quemadmodum aduerſus eamdem hæreſim ſanctus Petrus & ſanctus Paulus obediendum eſſe Dominis carnalibus & Regibus & Ducibus pronuntiarunt. Saltem rediiſſe videntur opiliones & agricolæ illi, qui fermè ad ſexaginta millia, in Galliâ, ſpecie recuperandi terram ſanctam, explicato Agni Vexillo, & Paſtorelli appellati, reipsâ lupi ac fures apparuerunt, cœperuntque Regnum vniuerſum populari.

In Epiſt. ad Tim. c. 3. Matth. 22. 1. Pet. 2. Rom. 13.

15. De Traiano illud memoriâ dignum perhibetur, quòd nimirum coram Proceribus diſtrictum enſem tradiderit Præfecto Prætorij, *Cape hunc enſem*, inquiens, *& ſi bonus fuero, pro me; ſin malus, contra me eo vtitor.*

Dio in Traian.

tor. Scias Molinæe, ne contra malum quidem Principem Ieſuitas gladio vſuros, tametſi hac eâdem conditione gladius ipſis
2.Reg.1. traderetur. Norunt à Dauide fuiſſe animaduerſum in eum, qui Saulem, Regem ceteroqui exauctoratum à Deo, interemerat. Norunt, Tyrannum & multò minùs legitimum Regem, auctoritate priuatâ occidi non poſſe; cùm hoc fuerit definitum in Concilio Conſtantienſi, & quemadmodum omnem aliam hæreſim, ita & hanc, vtpote ſeditioſam, diram, ſacrilegam, abominantur.

Concil. Conſtanti. ſeſſ. 8.

16. VViclefus & Ioannes Hus illi fuerunt, qui affirmarunt, Principes ob quamuis culpam letalem cadere omni iure ad Principatum, atque à ſubditis corripi & in ordinem redigi poſſe. Hi iidem aſſeuerarunt, poſſe interimi licitè ac meritoriè Tyrannos, hoc eſt veros Reges: nam id aiebant licere, non obſtante quocumque præſtito iuramento, quod ſolis & veris Regibus præſtari ſolet.

17. Hæc depromere volui ex ipſis codicibus hæreticorum, & ex eorum vel patratis vel tentatis parricidiis, contra viuos peræquè ac mortuos Reges ac Reginas: vt Molinæus non infantiæ vel calumniæ tantummodò, ſed impudentiæ non ferendæ

ar-

arguatur, dum Ieſuitas auctores dixit doctrinæ cruentæ; cuius magiſtros & duces atque anteſignanos agnoſcere potiùs Sectarios ſuos debuiſſet.

CAPVT XI.

An rectè Molinæus exprobret, Romæ manare ſimul exempla vitiorum & Fidei deciſiones.

1. BAlzacum ait clarè admodum videre, & agnoſcere infirmitatem cauſæ propriæ; vtpote qui Romæ diu vixerit, vbi velut vno fluũt alueo deciſiones Fidei & vitiorum exempla. Efficiam, vt ipſe Molinæus fiat lynceus & tam clarè videns, vt agnoſcat, cum vitiorum exemplis, manaſſe potiùs Euangelij reformati deciſiones.

Vous eſtes trop clair voyant, pour ne recognoiſtre pas la foibleſſe de voſtre cauſe, ayant long temps veſcu à Rome, d'où, auec les exemples des vices, viennent les deciſions de la Foy.

2. Martinus Lutherus deſerüit clauſtrum, Sacerdotium ſpreuit, & Monachus apoſtata, monialem nihilo meliorem, præferente facem tartareo hymenæo, cum dote locupletiſſimâ vitiorum ſibi copulauit. Itaque ab apoſtaſiâ, à ſacrilegio, à ſtupro deciſiones Euangelij reformati auſpicatus eſt hic Euangeliſta mœchus perinfamis.

Iacta-

Iactabat ſe tantò probiorem euaſiſſe, quantò receſſerat longinquiùs ex Vrbe Româ: atqui ſat ſciebat deſertor cellæ vnius, futurum fuiſſe, vt ſi manſiſſet Romæ, relegaretur ad Centum cellas, quò ibi laxiùs habitaret; & tum, quandoquidem malus Mercurius alas dederat vt ex clauſtro elaberetur, paraſſet ei bonus Vulcanus pedicas ferreas, quibus inter Remiges ibi retineretur; niſi fortè maluiſſet flammis ſuis tempeſtiuè Orbem Chriſtianum expiare à contagio hæreſum eius. Demũ eò libertatis venerat, vt affirmaret, excuſſum ab ſe omne iugum poteſtatis humanæ: quamquam ne poteſtatis diuinæ quidem iugum tolerauit; ſed cornua in cælum, in Superos, in Deum erexit, tamquam taurus immanis: quod ſatis indicauit impia illa vox, quâ in arce Lipſienſi, agens de Religione cum Ioanne Eccio, dixit: *Res hæc cœpta non eſt in Dei nomine, nec in Dei nomine finietur.* Diſcere vel à Platone Ethnico potuiſſet illud: *Cùm omnes, qui mentis quoquo modo compotes ſunt, in operis cuiuſque vel magni vel parui principio inuocare Deum ſoleant; quantò nos æquiùs eſt de Vniuerſo (ſiue genitum ſit ſiue ingenitum) diſputaturos inuocare diuinam opem.* Sed impos mentis, & expers pietatis erat Lutherus; potuitq; hoc negligere, tametſi de

Gaſpar. Vlenberg. in Vitâ Luth. ad an. 1519.

In Timæo.

de re maioris momenti, hoc eſt, de verâ religione diſputaret. Interim auxit multorum opiniones, ſeu de ipſo genito operâ incubi dæmonis, antequam Ioanni Luthero mater eius femina infeliciſſimi vteri nuberet; ſeu de familiari dæmone, cuius conſortio vteretur, & à quo exciperet præcipua dogmata; vt qui ex patre diabolo erat, non ab alio magiſtro inſtrueretur, ſed ſpiritus mendacij inflaret primam tubam Euangelij reformati. ***Loquere, vt te videam***, dixit olim Pythagoras; qui mores Lutheri cognoſcere perfectiùs deſiderant, ij dumtaxat codices eius, non atramento exaratos, ſed fæce luxuriæ, euoluant. Excerpta ex eius codicibus quædam, & propoſita honeſtis auribus, ſola conſilium dederunt deſerendi Synagogam eius. Ita vir Princeps in Germaniâ expugnaturus pertinaciam coniugis ſuæ, poſt adhibitas fortiores Theologorum perſuaſiones inſtructioneſque, hoc vſus fuit ſtratagemate, neque in irritum cecidit ingenioſus conatus eius. Quadam die, dum adpoſitæ iam in menſâ erant dapes, à Lutheri codice fingebat ſe auelli non poſſe; etſi primùm à famulis, dein à coniuge fiebat prandij ſignificatio; cùm omnes mirarentur tantam eo die, & horâ tam alienâ, cum libris amicitiam. Quia verò de indu-

Gaſpar Vlenberg. in Luth. Vitâ ad an. 1521.

H ſtriâ

ſtriâ meditabundus, nec explicato vti aliàs animo in menſâ ſedit, exarſit coniux deſiderio indagandi, quid demum legiſſet: & ſtatim à menſâ codicem adijt, deprehenditque ſtetiſſe virum in conſilio Lutheri, quo ſuadet; vt, quia nemo vltra dies quinque poteſt continere, ſi vxor renuat, à marito ancilla vocetur. Cœptæ ideò confeſtim audiri muliebres querimoniæ & exprobrationes etiam; quaſi, hoccine à viro legi tam ſtudioſè oportuiſſet. Qui mox adfuit, & eam hortatus vt compoſito eſſet animo, allatiſque codicibus editionis variæ, ſententiâ nuſquam variante, ne, quod illa ſuſpicabatur, vitiatus textus ad inuidiam Lutheri videretur; effecit, vt agnoſceret, quale monſtrum Lutherus eſſet: cui vni tamen religionem ſuam & ſuam fidem, veluti oraculo, acceptam referebat. Quapropter, vbi præſertim ex Miniſtris quoque hoc affirmantibus, etſi neceſſariâ verecundiâ ſuffuſis, cognouit Lutherum ita proſtituiſſe ſanctam connubij honeſtatem; eum eiurauit, tamquam Epicuri de grege porcum, & incepit caſtam Religionem Catholicam profiteri.

3. Caluinus haud præbuit exempla honeſtiora, cùm auſpicatus eſt deciſiones fidei reformatæ; nam is erat, cui propter pro-

broſa

broſa Veneris nefandæ diuerticula, ſtigma inuri oportuit Nouioduni. Habemus nos magiſtrum fidei ſanctum Paulum, dicentem, *Stigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*. habent Caluiniſtæ magiſtrum ſuæ fidei reformatæ Caluinum, qui Sodomæ ſtigmata in corpore ſuo portauit; deſertor Cleri, mendacijque & calumniæ pater. De ipſo certè illud perhibetur, deliberatum ipſum habuiſſe, ad promouendam, vti aiebat, Dei gloriam, & Euangelium ſuum, non mentiri modò, ſed etiam innocentes calumniis circumuenire. Neque id ſanè miror, quia Euangelium fraudulentum ſolis poterat fraudibus promoueri.

Gal.6.

Hieron. Bolſecus in Vit. Calu. c.20.

4. Theodorus Beza exemplis æquè obſcœnis fundauit & ipſe pariter Euangelium reformatum. Mœchus fuit, & Pæderaſta: nec vtrumque ſcelus diſſimulauit; ſed propriæ turpitudinis præco feſcenninis verſibus tum Candidam ſcortum nigerrimum, tum Audebertum famoſum catamitum celebrauit. Prouoco ad obſcœnos illos hendecaſyllabos:

In Iuuenilibus Bezæ:

Abeſt Candida; Beza, quid moraris?
Audebertus abeſt; quid hîc moraris?
Tenent Pariſij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelijs manere pergis,

Procul Candidulaq́;, amoribusq́;,
Et leporibus, Audebertuloq́;?
Imo Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres.
Namque Vezelijs carere poſſum,
Et carere parente, & his, & illis,
At non Candidulâ, Audebertuloq́;.
Sed vtrum, rogo, præferam duorum;
Vtrum inuiſere me decet priorem?
An quemquam tibi, Candida, anteponam?
An quemquam anteferam tibi, Audeberte?
Quid ſi me in geminas ſecem ipſe partes?
Harum vt altera Candidam reuiſat,
Curratq́; altera verſus Audebertum?
At eſt Candida ſic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam:
Sic Bezæ eſt cupidus ſui Audebertus,
Bezâ vt geſtiat integro potiri:
Amplector quoque ſic & hunc & illam,
Vt totus cupiam videre vtrumque,
Integriſq́; frui integer duobus.

Vtinam ſectus & diſcerptus in duas & plures partes potiùs fuiſſet! Sed ecce in delectum ſimul & in carnem alteram mox abiuit; propoſuitque remedium obſcœniſſimum aduerſus procaces Candidæ querimonias, ita concludens:

Præferre attamen alterum neceſſe eſt.
O duram nimiùm neceßitatem!

Sed

Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
Priores tibi defero Audeberte.
Quid ſi Candida fortè conqueratur?
Quid tum? Baſiolo tacebit imo.

O hircum! Riſerunt Miniſtri captâ Syluaducis, Sanctum aliquem in vitris ſpecularibus templi pictum, cùm inter Chriſtum eiuſque Matrem conſtitutus interim diceret: *Poſitus in medio quò me vertam neſcio.* rati videlicet puram putam ſtultitiam eſſe, vtri accedendum foret, conſultare. Quaſi ſtultitia fuerit, priùs in nuptijs Canæ Galilęæ vertiſſe ſe ad Mariam, quàm ad Chriſtum; in petitione verò Sunamitidis priùs aut potiùs Bethſabeam, quàm Salomonem adiiſſe. Ingeniosè vir quidam Princeps, cùm id Hagæ Comitis referretur in conuiuio, dixit oportuiſſe, vt Miniſtri aduerterent, in Mariæ vlnis Chriſtum paruulum fuiſſe; & à Diuo ibi picto optionem habitam, inter Chriſtum naſcentem, & Chriſtum morientem. Sic eorum argumentum eluſit; & quoniam à vitris deſumptum erat, oſtendit pariter fuiſſe vitreum, nulloque negotio potuiſſe frangi. Peto ego iam, vt Molinæus definiat, vter meliùs dicere potuerit, *Poſitus in medio, quò me vertam neſcio*; Sanctus ille inter Chriſtum & Mariam, an Beza inter Candidam & Audebertum? Ioan 2. 3.Reg.2.

 5. Quòd

5. Quòd ſi hoc nequeat definire, agnoſcat ſaltem per quàm enormia vitiorum exempla venerint Euangelij reformati deciſiones. Quid de Gebennâ dixerim, quæ Hugenottarum Paradiſus eſt: alius tamen
Matth.22. ab altero illo & vero Paradiſo, in quo *neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Quippe ibi & adulterant & mœchantur apoſtatæ plurimi, ideoque appellari non deberet Gebenna, ſed ademptâ particulâ tertiæ litterulæ, Gehenna.

6. Iſtiuſmodi monſtris Roma non ſcatet: quòd ſi ea ingruerēt, ab iiſdem, vt dixi, purgaret ſe confeſtim aquâ & igni. Eſto, praua Romæ ſint etiam exempla: at bona exempla ibi ſuppetunt multò plura; eſſentque longè maius hæc habitura pondus, ſi vtraque appenderentur in ſtaterâ: quod af-
In Vitâ Henr. IV. firmauit Petrus Matthæus Hiſtoricus Regius. Quin etiam Theodorus Amydenus Belga, librum ante annos paucos edidit, cui titulus eſt; *De Pietate Romanâ.* atque Antonius Sanderus item Belga alterum impreſſit librum, in quo Elogia Cardinalium, & in eis virtutum maximarum exempla referūtur. Ego, ſi Moderatores mei annuent, vbi Romam, quæ mihi eſt patria, rediero, primas curas dedicaui Operi, cui titulus ſit, *Roma Pia.* Certum habeo, oſtenſurum me,

ſi

ſi ſæcula conferam, ab annis fermè octingentis, Romam non fuiſſe meliorem, quàm ſit iam poſt Lutheri & Caluini hæreſim. Optimo amico & peſſimo inimico dicitur egere vir illuſtris. Amici eius optimi fuerunt Patres Concilij Tridentini, hæretici ſunt inimici eius peſſimi; Romamque ambo illuſtrem hoc ſæculo reddiderunt; in quo peculiariter nulla interuenerunt ſchiſmata, ſed ex ſingulari Dei prouidentiâ vnũ Caput rexit vnam Eccleſiam, atque vnam eius fidem. Quòd ſi beatæ Birgittæ Suedæ vox lapſa de cælo ſuaſit, vt Romam peregrinaretur, his verbis; *quia Romæ facilior eſt ad cælum via*: erítne ibi hæc via iam difficilior, dum ea vrbs ſanctior & probior habetur? In Vitâ eiuſdem.

7. Abſque vitiorum exemplis, fateor, Roma non eſt; quæ tamen dixi exemplis virtutum ſuperari: ſed an ideò rectè Molinæus ea euulgat? O Conſtantini aureos & verè Chriſtianos mores! criminoſos Arianorum Epiſcoporum libellos, contra Epiſcopos Orthodoxos, nec legit quidem, ſed flammis dedit; ratus populo aperienda non eſſe vitia Sacerdotum. Quin etiam, ſi ſtuprũ vidiſſet ab Epiſcopo inferri alienæ vxori, profitebatur ſuâ ſtatim purpurâ ſuoque paludamento ſe id occultaturum. At Cal-

uiniſtæ non Epiſcoporum dixerim vera crimina, ſed falſiſſima, quæ eis calumnioſè affingunt, illa impudentiſſimè euulgant, & prædicant ſuper tecta.

8. Ad hæc, an propter praua eorumdem Epiſcoporum aut Præſulum exempla, quæ Romæ ſint, vel fuerint, deſerenda ideò fides fuit? Et quot habuit praui moris documenta domus Iacob? Ruben primogenitus, cum Balâ nouercâ ſe inceſtans, fœdauit thorum patris ſui. Simeon & Leui, *vaſa iniquitatis bellantia*, appellati ſunt, quia Dinam ſororem malè vlti, Sichimitarum cædem ſacrilegio miſcuerunt. Conſpirauerunt deni fratres contra innocentulum Ioſeph, nec falsò ab eo fuerunt accuſati de crimine peſſimo. Perinde in familiâ Dauid, Thamar ſororem compreſſit Amnon, & hunc Abſalom in conuiuio trucidauit; qui prætereà Abſalom læſit parentis, læſit Regis maieſtatem; dum Nouercas publicè conſtuprauit, & dum regnum violenter inuaſit. An ideò fides Dauid, aut Religio Iacob erat deſerenda? Si Molinæus, ſi Miniſtri ſodales eius iactant, ſe purum ſequi Euangelium; ſeruent illud: *Super cathedrā Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.*

Gen. 34. & 49

Gen. 37.

2. Reg. 13.

2. Reg. 16.

Math. 23.

Hoc,

Hoc, inquam, ſeruent: & tametſi aliqua vitiorum exempla ſint Romæ; credant nihilominùs,ac viuant, quemadmodum eſſe credendum, ac eſſe viuendum Roma docet. Videlicet Romani Pontificis Cathedra idem ſenſit, idem credidit, idem docuit ſemper; nec habet opinionum diſſidia, quibus aut Lutheri, aut Caluini, aut Zvvinglij cathedra peſtilentiæ fatiſcere videtur.

9. Sed quid? gloriantur Sectarij, ſanctiùs multò ſeruari ab ſe legem ſuam, quàm ſeruemus nos ipſi legem noſtram. Itáne? ſuſtulerunt omnia Chriſtianæ legis onera grauia; nempe corporis afflictationes, auricularem confeſſionem, largitiones pias alendis integris Religioſorum mendicantium familiis, abſtinentiam ab eſu carnium facilè ad tertiam anni partem, ieiunia in Sanctorum peruigiliis, in Aduentu, in Quadrageſimâ: vt omnia verbo complectar, ſuſtulerunt opera bona; & iactant nihilominùs, ab ſe legem ſuam ſeruari meliùs. O ſtrenuos & egregios athletas! eſtíſne vos

Et certare pares, & reſpondere parati? Virgil.

Tolle molem, tolle pondus, & formica humeris, præ ipſo Atlante vel Hercule, Cælum atque Orbem terrarum ſuſtentabit.

10. Illud interim certum eſt, quotquot ſunt viri prudentes inter Sectarios, totidem

fateri etiã, inter Catholicos inueniri exempla virtutum maximarum; nec ſuorum virtutem exprimere aliter, quàm ſimilitudine virtutum noſtrarum. Ita nuper Sedani, qui Matronam ibi Principem & Dominam laudarunt, dixerunt, modeſtè admodum & inſtar feminæ religioſæ ipſam viuere. Id olim perinde agnouit Iulianus Apoſtata; vtpote qui Sacerdotes idolorum, eorumq́; mores exigebat ad normam Sacerdotum noſtrorum; quò ita faciliùs promererentur amorem populi, pluresq́ue allicerent ad idololatriam. Hinc litteris datis ad Arſacem Galatiæ Pontificem, hortatus eſt, proponeret myſtis & ſacrificulis ſuis mores Chriſtianorum imitandos; commendaretq́ue eis benignitatem in pauperes, in peregrinos hoſpitalitatem, & circa eos qui excederent è viuis, curam funeris ac ſepulturæ. Vſque adeò etiam oculis hoſtis inuidi ac maligni pulcherrima eſſe videbantur inſtituta Chriſtianorum.

CAPVT XII.

An rectè in Vrbe Româ & Iudæi tolerentur & Hæretici comburantur.

Où les Iuifs, ennemis du nom de

1. QVeritur grauiter Molinæus, Iudæos inimicos nominis Chriſti Romæ in tranquillo agere; Chriſtianos verò & fideles,

les, hoc eſt Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, comburi. Miror profectò, Sectarijs noſtri huius æui adeò parum cum Iudæis conuenire, vt eorum oderint tranquillitatem: morum ſimilitudo, mutui pectoris viciſſitudinem plerumque conciliat; ipſi verò ſunt Iudęis quàm ſimillimi. Quid enim? templum nec Sectarij nec Iudæi habent: Sacerdote & vate ſacro & ſacerdotio ambo carent: ſunt ſæpenumerò quidem è Sectariis filij Sacerdotum, Monachorum & Monialium; quibus vtique inter nos Catholicos haud licuiſſet eſſe tam fœcundis: ſed hoc eis non ſuffragatur; quia ſucceſſionem conſecrationis quærimus, non autem ſucceſſionem fornicationis. Iudæi Sanctorum icones nullas colunt, Sectarij iconomachiam profitentur, quam Leo Iſauricus, primus eius impietatis auctor, à Iudæis didicerat. Merum in Paſchate panem Iudæi, & merum panem Sectarij in cœnâ ſuâ edunt; nihilominùs accepturi ambo ex officina piſtoris, vel ex molendino. Iudæi non adeò coluerunt virginitatem perpetuam, eamque ideò filia Iephte lamentata eſt flebiliter moritura: Sectarij eamdem furiosè exterminant ex Orbe Chriſtiano, tantaque id agunt impudentiâ, vt Theodorus Beza, hoc eſt ſus lota in volutabro luti, vtriuſque libi-

Chriſt, viuent en paix; mais les Chreſtiẽs & fideles y ſont bruſlés.

Beza in Præf. Teſtamenti noui.

libidinis, auſus fuerit roſtrum immundiſſimum inferre in ipſam Mariæ Deiparæ Virginitatem; ac reuocare in dubium, an poſt Dei puerperium virgo perſeuerauerit. Iudæi ad ſolam Scripturam prouocant, Sectarij perpetuò Scripturam Scripturam clamant. Iudæi ex eâdem Scripturâ ſacrâ veteri eraſerunt multa, quibus Chriſti aut diuinitas, aut paſſio, aut redemptio generis humani euidentiſſimis Prophetarum vaticiniis aſſerebatur: Sectarij temerario auſu Scripturam & veterem & nouam pluribus in locis deprauarunt, quò in hunc modum ſtabilirent ſacrilegos errores ſuos. Cùm ſint itaque tam ſimiles, miror ſanè vtriſque non conuenire.

2. Vt reſpondeam Molinæo, qui ægrè fert Iudæos Romæ tolerari, quamuis Chriſtum Dominum appellent ſeductorem (quod & Sedani coràm exprobrauit) ſcire eum velim, à Theologis & à viris doctiſſimis hoc neutiquam improbari. Confirmant enim Iudæi Religionem noſtram, dum ſine ciuitate, ſine patriâ, ſine lare, tot iam ſæculis perſeuerant; & perpetuò ſeruire coguntur; quod tamen alteri Nationi, domitæ armis Populi Romani, numquam euenit; vt dubitari non poſſit de ipſorum p[illegible]tione diuinâ: ſunt infamiâ æternâ notati;

tati; nec promouentur ad honores vllos, aut Magiſtratum; reijciuntur ab ipsâ militiâ, Romæq; ac paſſim alibi non poſſunt bona ſtabilia poſſidere. Sed & natura ipſa videtur conſpirare in eorum punitionem; quorum vtique corporibus ineſt ſemper grauis quidam odor, vt proptereà nomen fœtentium promeruerint, nec aliter ipſos appellet Ammianus Marcellinus.

3. Sunt inſuper Iudæi Religioni noſtræ vtiles ex alio eo capite, quia Scripturas ſacras nobis exhibent minùs corruptas, quàm hæretici Iudæis multò nequiores. *Quid aliud eſt hodie*, inquit Eucherius, *gens ipſa Iudæorum, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum fidelium, baiulans leges & Prophetas, ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ: vt nos haberemus per Sacramentum, quod nuntiat illa per litteram?*

4. Ceterùm eſt circa eos Romæ maior quædam diſciplina: nam habitant ædibus coactis intra limites præfinitos; clauduntur noctu ſepta eorum, & ſunt propoſitæ pœnæ graues, ſi qui audeant egredi, aut diuagari. Vt à Chriſtianis quoque interdiu poſſint diſtingui atque internoſci, non aliter prodire poſſunt, quam colore croceo petaſati. Quauis item hebdomadâ die Sabbati venire numero ſatis magno ad Chriſtianam

nam concionem debent; & ſi pauciores adſint, exſoluunt mulctam grauem. Neque hoc ſine fructu fieri ſolet, quia quotannis ſunt, qui ad caſtra Eccleſiæ aggregant ſe, & Chriſto Domino nomen atq; animam conſecrant. Eſt autem frequentior numerus eorum qui fonte luſtrali eluuntur, ſi contingat aliquem præcipuum è Synagogâ eorum conuerti: quo pacto initio Pontificatus Pij V. cum Eliâ Synagogæ Præfecto Iudæi ampliùs trecenti Chriſtianis ritibus initiati fuerunt. Porrò ij qui Religionem noſtram amplectuntur, tum ex mulctâ, de quâ modò memini, tum ex piâ fundatione aluntur in domo Catechumenorum; donec inſtructi in his quæ ad fidem Catholicam ſpectant, conditionem inueniant, aut exerceant opificium aliquod honeſtum.

5. An hæc meritò reprehendit Molinæus? vel cur id exprobrat ſoli Romano Pontifici, ſi Principes, ſi Reſpublicæ, ſi liberæ ciuitates, etiam Auguſtanæ Confeſſionis, & profeſſionis Caluinianæ, Iudæos paſſim admittunt; nec ijs tamen legibus eos regunt, aut ad fidem pertrahere conantur? Vbi procurandæ ſalutis alienæ ſtudium? vbi eſt Miniſtrorum zelus Euangelicus? Nimirum ſtertit, quia vxorius eſt, & diuiſus, imò penitus abſciſſus à Deo.

6. Quam-

6. Quamquam irritus labor eorum eſſet, nec enim Iudæi tales Eccleſiaſtes audirent,cùm agnoſcant veræ Chriſtianæ Religionis caput eſſe Romanum Pontificem; & ſciant Lutheri & Caluini aſſeclas hæreticos ac ſchiſmaticos eſſe: quod apertè profitentur, quoties interrogantur, mallentne noſtras an eorum partes ſequi, ſi aliquando Religionem mutarent. Sanctus Auguſtinus de Donatianis & Rogatianis agens, & eorum paucitatem contemnens,ſi cum Eccleſiæ Catholicæ partibus comparentur (ex quo partem Rogati ex Donati parte abſciſſam, appellauit breuiſſimum fruſtum de fruſto maiore præciſum) vt oſtendat eos nullâ ratione poſſe dici Catholicos ſeu vniuerſales; hæc ſubdit in rem præſentem: *Planè & Iudæi & Pagani ſi tam paucos putarent eſſe Chriſtianos,quàm pauci vos eſtis,qui ſolos vos Chriſtianos eſſe perhibetis, nec blaſphemare vos dignarentur; ſed & numquam ridere ceſſarent. Non timetis,ne vobis dicant Iudæi: Vbi eſt quòd Paulus veſter Eccleſiam veſtram intelligit; vbi dictum eſt, Lætare ſterilis,quæ non paris, erumpe & exclama, quæ non parturis;quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum; præponens multitudinem Chriſtianorũ, multitudini Iudæorum,ſi Chriſti Eccleſia eſt paucitas veſtra?* Epiſt.48. ad Vincent.

7. Diſ-

7. Diſplicuit Sedani Molinæo,cùm ego ſciſcitanti, cur Iudæos magis quàm hæreticos Romæ Pontifex toleraret, reſpondi cauſam eam eſſe; quoniam à Iudæis perinde atque ab hæreticis infectionem Eccleſia non metuit. Sed profectò ita eſt: nam vtroſque dum comparo, Iudæos verum eſſe triticum iudico, antiquum tamen, marcidum, tabidumque, & quod ætatem ampliùs non ferat: fuit enim ipſorum olim vera & ſola Religio. Hæretici contrà ſunt lolium, quod zizania Græci appellant; ſunt, inquam, lolium, hoc eſt morbus frugum, ſegetis contagium & peſtis; quod, ex diuini conſilij præſcripto, relinqui tantùm
Matth. 13. in agro vſque ad meſſem debet; quando periculum eſt, ne ſimul triticum eradicetur. Vti videlicet contingit in Regionibus & ciuitatibus, in quibus iure ac prudenter metuitur numerus ſeu potentia hæreticorum. Secùs eradicandi ſunt, neque eſt expectanda meſſis: atq; hæc eſt vera Euangelij expoſitio, quam communiter Theologi atque Interpretes ſacri tradunt. Non recedam à lolij cum hæreticis comparatione, niſi priùs inſinuauerim, lolio maximè oculorum aciem hebetari, propter vapores eius acres, ac cerebrum afficientes: quod cauſæ fuit, cur lolio victitare dicerentur

olim

olim ij,qui viſu erant imbecillo; & cur Ouidius dixerit Plautus.

Et careant lolÿs oculos vitiantibus agri. Ouidius.

8. Sanè hæreſis oculos animæ vitiat inſtar lolij, ideoque non niſi res materiatas & corporatas hæretici iam vident;ſed & cerebrum ipſorum efficit tam acre,vt agi furore impotenti, & contra homines, contra Superos, contra Deum incitari, tamquam ebrij & fanatici videantur. Neque hoc etiam eſt mirum; quia ſicut lolium idiomate Gallico ebrietatẽ ſonat, ita hæreſis nomine nihil aliud quàm ebrietas mentis indicatur.Interim ne Molinæus iniuriæ adſcribat, Iudæis hæreticos à me poſtputari; patrocinium quæram ex ſancto Hieronymo, qui In Iſai. ait, neminem eſſe tam impium, quem hæ- l.7. reticus impietate non vincat.Quippe fidem euertit, quæ fundamentum ſpiritualis ædificij, principium vitæ, ac veluti cor eſt. Quòd ſi, vt verbis S. Auguſtini vtar,*domus* Serm.22. *Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, di-* de Verbis *ligendo perficitur*; quantum adfert detri- Apoſt. menti hæreſis, quæ illud ipſum fundamentum ſubruere atque euertere conatur? Id cauſæ nimirum fuit, cur olim, quando aduerſus Eccleſiam Tyranni ſæuiebant,Chriſtiani tempeſtatem expectauerint domi; nec patriam,aut lares, aut commoda pro-

pria deſeruerint: at quotieſcumque hæreſis noua ingruebat, extemplò, perinde ac ſi claſſicum audiretur, centeni & centeni Epiſcopi, ex remotiſſimâ quauis regione, relictis aris, templis ac ſedibus ſuis, ad Concilia Oecumenica venerint, quo hæreſim eamdem propulſarent; qui tamen ad alia vitia tollenda de ſtatione ſuâ non recedebant. Fateor, Chriſtianos, ait Molinæus, Romæ comburi: ſed vocabula conſultò transfert, tametſi ſciat ſolos hæreticos Romæ ita puniri. Hoc verò agit, quia ſciebat Caluinum, Lutherum, Bezam ſententiam dixiſſe prolixam & grauem, de Hæreticis omnino exurendis: nec auſus eſt eis contradicere, ſed in rogum agi Romæ Chriſtianos & fideles queſtus eſt. Quod ſupplicium eſſe crudeliſſimum, dum Sedani eram, identidem ſucclamauit, damnans Tribunalia ſacra Inquiſitionis Romanæ atque Hiſpanicæ: cuius ego vindicias tunc ſuſcepi, atque aſſerüi, Romæ præſertim, ob primam hæreſim ſupplicio extremo neminem puniri, niſi hæreſiarcha fuerit, verùm corripi dumtaxat, & dimitti, hæreſi tamen priùs abiuratâ; ſolos verò relapſos in eamdem hæreſim morti adiudicari, nec viuos comburi tamen, ſed ſtrangulari priùs, & mox incendium pati, quando ſentire acerbitatem eius ne-

nequeunt, ſi reſipiſcant & errorem abijciant morituri. Quòd ſi obſtinati fuerint, tunc viui exuruntur; neque hoc fit ſtudio exerendæ ſæuitiæ, ſed ſpe potiùs excoquendæ ipſorum pertinaciæ, ſi quomodo ex pœnæ magnitudine ſaltem adduci poſſint ad profeſſionem fidei Orthodoxæ.

9. Tunc idoneam occaſionem nactus, cœpi Molinæum adhortari, vt, quoniam viridi eſt ſenectute, vegetumque adhuc animum habet, demum ſanam doctrinam ſectaretur: fore enim dixi maiorem gloriam victo, quàm ſi vinceret; & ſecuturos triumphum plurimos, quos ſeduxit. Addidi etiam, poſſe id euenire certiùs, ſi Romam cogitaret, quam vtique eſſet reperturus longè aliam, atque in epiſtolâ ipſius deſcribebatur. Cùm autem reſponderet; Papa exureret me, ſi ego Romam proficiſcerer; oblata ei ſtatim eſt ſecuritas & fides publica: nec exempla ſilui plurimorum, qui vbi hæreſim ſuam poſuerunt, Romæ figere larem opeſque ad familiam honeſtam alendam obtinere, ex Pontificiâ liberalitate meruerunt. Vt non immeritò dixerit aliquando Scipio Cardinalis Cobellutius, agens de his qui ab hæreſi in Eccleſiæ Romanæ ſinum recepti, ex ærario Apoſtolico ſplendidè admodum alebantur; nullis Romæ tam ſub-

itò benè eſſe, quàm his qui aliquando fuerant mali. Sed enim ſurdis auribus hæc accepit Molinæus, manſitque in inchoatâ exprobratione ſæuitiæ, ſaltem contra Inquiſitionem Hiſpanicam. Reſpondi ego tamen, multò ibi clementiùs Hæreticos, quàm in Regno Magnæ Britanniæ Catholicos, præſertim Sacerdotes, tractari; quibus fauces laqueo interſtringunt, pectus ſecant, cor & præcordia extrahunt, abſciſſis quoque humanis membris. Cùm autem negaret ea ſupplicia ſumi causâ Religionis, prouocaui ad Prætorij Londinenſis publicas tabulas. Denique vt conſtaret, in tribunalibus Eccleſiæ videri non debere, vltra crimen eſſe pœnam illam, quâ in Hæreticos animaduerti ſolet; dixi, à Conſtantino Magno propoſitam pœnam capitis, contra eos qui Arij damnatos codices domi ſuæ attinerent; & ideò multò magis æquam exiſtimari debere pœnam capitis, latam in eos qui ipſam hæreſim profitentur. Nihilominùs id Molinæus adhuc execrabatur, neque admodum ego mirabar. Quis enim vmquam reus vincula, vel quis fur reſtim & patibulum laudauit?

10. Omnis Iuris tamen humani & diuini obliuiſcebatur Molinæus, cum damnauerint ſupplicio extremo, mirâ conſenſione,

ne, Lex ciuilis, Lex Canonica, & Lex diuina eamdem hæreſim, vti apertè docent Gomez, Couarruuias, & alij Iuris conſulti, atque adeò eiuſmodi pœnam debere infligi per ignem, eſſeq́; id receptum conſuetudine omnium prouinciarum atque regnorum Europæ, imò totius Orbis Chriſtiani, aſſerant Caretius, Afflictus, Menochius, Martinus Delrius & Couarruuias. Extant præterea conſtitutiones duæ, altera Friderici Imperatoris, altera Caroli Quinti, de eâ re; idemque ſancitum eſt ab Hiſpanis & Neapolitanis Regibus; & peculiariter etiam à Regibus Chriſtianiſſimis, Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX.

L. Ariani. §. Manich. C. De Hæreticis.
Et L. Quicumque. §. Eas verò C. eodem.
Gomez Var. reſol. p. 3. c. 2.
Couarr. Var. reſol. l. 2. c. 10. n. 10.

Caret. tr. de Hæreſi n. 182.
Afflictus in Conſtit. regni de Hæret. rubric. 1. n. 29. & 41.
Menoch. de Arbitr. Iud. l. 2. c. 374.
Delrio Diſq. Mag. l. 5. ſect. 16.
Couar. loc. cit.
Apud Pegnam in Direct. Inquiſit.
Apud Damhauderium in Praxi criminali.
Apud Claudium Brunium.

11. Si hæc ignorat Molinæus, ſaltem cùm ſit magnus Rabbinus in Synagogâ Hugenottarum, ignorare non debet, quid Lutherus, quid Caluinus, quid Beza, cenſuerint. Lutherus qui Papam & Papiſtas Hæreticos putauit; poſtquam Decretales & Bullam Pontificiam exuſſerat, luſum eũ eſſe dixit, & maius quiddam reliquum videri; nempe, vt ipſe Pontifex, & ſedes Romana, cum omnibus eius abominationibus

Gaſpar Vlenberg. in Vitâ Lutheri ad an. 1520.

 bus

bus incendio conſumeretur. Caluinus libros & Tractatus integros de cremandis hæreticis ſcripſit: qui etiam Michaëlem Seruetum curauit Geneuæ comburi, tamquam hæreticum. Beza non dubitare ſe ait, quin Magiſtratus optimo iure in Anabaptiſtas gladium ſtrinxerit.

Spondanus in Auct. ad an. 1553. Beza Ep. 4.

12. Libet iam ex duabus ſolis D. Auguſtini Epiſtolis expendere accuratiùs, an laudabile ſit & liceat vi ac pœnis vti aduerſus eos qui Religionem aliam profitentur, ab illâ quam veram & Catholicam hauſerant à parentibus ſuis. Quod ad vim attinet; *Vbi eſt*, inquit, *quod iſti clamare conſueuerunt, Liberum eſt credere, vel non credere? cui vim Chriſtus intulit? quem coëgit? ecce habent Paulum Apoſtolum; agnoſcant in eo priùs cogentem Chriſtum, & poſteà docentem; priùs ferientem, & poſteà conſolantem.* de quo ſancto Paulo hæc habet: *Cùm Petrum & alios Apoſtolos ſolo verbo vocaſſet, Paulum priùs Saulum, Eccleſiæ ſuæ poſteà magnum ædificatorem, ſed horrendum anteà vaſtatorem, non ſolâ voce compeſcuit; verùm etiam poteſtate proſtrauit, atque infidelitatis tenebris ſæuientem, ad deſiderandum lumen cordis vt ſurgeret, priùs corporis cæcitate percuſſit. Si pœna illa non eſſet, non ab eâ poſtmodum ſanaretur.* Adducit deinde rationes alias plures, in

Epiſt. 50. ad Bonifacium.

Ibidem.

in hæc verba: *Cur, cùm datum ſit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſeruare leuius eſt animam Deo, quàm feminam viro?* Et præterea: *Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, vt redirent; ſi perditi filij coëgerũt alios, vt perirent?* Vſus deinde parabolâ, in qua Dominus ad magnam cœnam ſuam priùs iuſſit adduci conuiuas, & poſteà cogi; fatetur, ſe ac plures alios Epiſcopos Catholicos exiſtimaſſe, quamuis Donatiſtarum rabies vndequaque ſæuiret, non fuiſſe petendum ab Imperatoribus, vt iuberent eorum hæreſim non eſſe, pœnamq́ue conſtituerent aduerſum eos qui illam ſectarentur: ſed tum in hac tum in alterâ Epiſtolâ ſententiam meliorem poſteà iniuit, propoſitis exemplis, quibus hoc fuiſſe conſultius, experientia ipſa demonſtrauit. *His ergo exemplis à collegis meis mihi propoſitis ceſſi: nam primitus mea erat ſententia, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum; verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentiũ verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati,*

Luc. 14.

Epiſt. 48. ad Vinc. de Hæret. vi corrigendis.

ti, ad vnitatem Catholicam, timore legum Imperialium, conuerſa eſt: quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in eâ numquam fuiſſe credatur. Proſequitur hanc eamdem vtilitatem, quam ex iis imperialibus legibus plurimi perceperant. *O ſi poſſem*, inquit, *tibi oſtendere, ex ipſis circumcellionibus, quàm multos iam Catholicos manifeſtos habeamus, damnantes ſuam priſtinam vitam & miſerabilem errorem; quo ſe arbitrabantur pro Eccleſiâ Dei facere, quidquid inquietâ temeritate faciebant: qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum, quæ tibi diſplicent, vinculis, tamquam phrenetici, ligarentur.* Neque peculiarium hominum, ſed ciuitatum multarum erat ea vtilitas, & illud gaudium: idcircò, *non illos*, inquit, *aut illos homines, ſed multas ciuitates videmus fuiſſe Donatiſtas, nunc eſſe Catholicas, deteſtari vehementer diabolicam ſeparationem, diligere ardenter vnitatem; quæ tamen timoris huius, qui tibi diſplicet, occaſionibus, Catholicæ factæ ſunt per leges Imperatorum.* Cùm hæc ſcribat ad Vincentium, ſcribens ad Bonifacium agit perinde de ſimili gaudio eorum qui ad veram Religionem fuerant hac felici neceſſitate compulſi: *Cum indignatione*, inquit, *& deteſtatione mendacium Magiſtrorum;*

Epiſt. 50.

rum; quòd modò cognoſcant, de noſtris Sacramentis quàm falſa iactauerint. Demum poſtquam narraſſet horrendam & fermè incredibilem cædem illatam Maximiano Epiſcopo Catholicæ Eccleſiæ Vagienſis, legem refert, quæ tunc aduerſus hæreticos fuerat promulgata. *Vt tantæ*, inquit, *immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudeliùs parci videbatur, quàm ipſa ſæuiebat, non tantùm violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impunè.* Addit verò ſæuitum in eam non fuiſſe ſupplicio capitali, *propter ſeruandam*, inquit, *etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniarijs damnis propoſitis, & in Epiſcopos vel miniſtros eorum exilio conſtituto.* Atque hoc eſt quod iam fit interdum à Catholicis Principibus, in regionibus, prouinciis, vrbibuſque, in quibus intereſt boni communis, agrum Domini à tam pernicioſo lolio repurgari. Abſtinet perinde, vt dixi, Eccleſia in puniendâ primâ hæreſi à ſupplicio capitali: ſed cùm fidem Catholicam, iterùm receptam, iterùm quis deſerit; tunc is pœnâ capitis crimen luit, & experitur ſeueritatem legis, quandoquidem ei clementia eiuſdem legis nullatenus profuerat.

13. Hoc citra iniuriam Rei ab Eccleſiâ & à Catholicis Principibus fieri, fatebitur

quoque Molinæus, ſi perpenderit, quantum ſit ſcelus à Religione auitâ deſciſcere: ſin minùs hoc fateri voluerit, venient ad iudicium contra ipſum, vnus Imperator Ethnicus, & vnus Arianus Rex; qui, propter eiuſmodi impiam ac ſacrilegam incõſtantiam, in Chriſtianos & Catholicos aliquando grauiter animaduerterunt. Etenim Conſtantinus Chlorus, cùm accerſitis domeſticis, quotquot erant Chriſtiani, optionem dediſſet, vt vel Diis immolarent, & ſic obtinerent in aulâ priſtinos honores, vel ſi renuerent, honoribus atque aulâ confeſtim abirent; pertentato in eum modum animo ipſorum, auxit gloriâ illos qui fuerant conſtantes in fide, eraſitque alios ex familiæ albo, exiſtimans fidos ſibi numquam futuros eos qui Deo fidem violauerant. Theodoricus Rex Gothorum ita vſus eſt Catholicis, vt indignè ferret, ſi quis promerendi causâ ipſius animum fieret Arianus: atque id cauſæ fuit, cur vitâ priuauerit vnum quem ceteroquin habuerat in amore præcipuo dicens, Quonam pacto mihi homini fidem & conſcientiam ſanam præſtabis, ſi Deo illam negaſti? Vtinam Reges & Principes hoc intelligerent; tranquilliſſima enimuerò Regna poſſiderent, quia mutatâ Religione ſemper ſolet ſtatus Reipublicæ mutari

at-

atque conuelli, cùm ſoror hæreſeos ſit rebellio. Hiſpania eſt pacata, quia in prouincijs ſuis nullas patitur ſectas. Gallia eſt tranquillior, hæreſi partim ad Rupellam debellatâ, partim in vniuerſo regno ſatis domitâ; quod agnoſcit Molinæus, ſuæque ideò hæreſeos ibidem inclinationem deplorat. Germania turbinibus ſæuis colliditur & quaſſatur; quia hæreſis in eâ furit iam ſolutis habenis, atque omnino negat illa quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & illa quæ ſunt Dei Deo. Matth. 22.

14. Ieroboam, poſt decem tribuum defectionem, in corde ſuo dixit: *Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà aſcendere in Ieruſalem; ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terrâ Aegypti. Poſuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum eſt verbum hoc in peccatum.* En hæreſis & rebellio, veluti ſorores de ſtirpe Eumenidum, & veluti gemellæ ſimul naſcuntur, ſimul nocent, niſi dum adhuc paruulæ ſunt, ſtatim allidantur ad petram. 3. Reg. 12. Pſal. 136.

CAPVT XIII.

An Molinæus rectè vitio vertat Pontifici, quòd Romæ permittat meretrices.

Où en Careſme les boucheries ſont fermees, & les bordeaux ouuerts.

1. IN vrbe Româ, inquit, dum Quadrageſima eſt, clauduntur officinæ lanionum, ſed patent de integro lupanaria. Videtur Molinæus vtrumque accuſatorio ſupercilio carpere ac damnare: ſed ſi eſt ex eo genere dæmoniorum, quod eijcitur oratione & ieiunio; ego iam vt eum compeſcam, obtrudam illi vel inuito Romanæ Quadrageſimæ ieiunia. Sciat nemini Romæ, niſi valetudo aduerſa ſit, licere in Quadrageſima, butyro, lacte, ouis, aut carnibus veſci: pro ægris verò illa eadem emi non poſſe, abſque teſſerâ, in quâ excuſet Medicus neceſſitatem; atque adeò auctoritatem conferat eadem coëmendi comedendique, ſeu Cardinalis Vicarius, ſeu qui eius vices gerit, ſeu nonnulli Supremi Antiſtites Ordinum Religioſorum. Datur porrò ea facultas ſemper gratis; ne gratiam ieiunij pariter vendi Romæ, muſſitet Molinæus. Et hoc addo, quia eiuſmodi venia ab Epiſcopis Angliæ vendi ſolet: ita quidam Eques Auratus, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Georgio Abbots, pre-

Math. 17.

pretio emit poteſtatem edendi carnes in Quadrageſimâ, dum hæreticus erat, quod à viro intellexi eiuſdem Equitis perfamiliari: fuerat tamen liberalis & comis Archiepiſcopus; nam permiſerat, vt ſex conuiuas habere poſſet, compotes eiuſdem veniæ, ne foret in menſâ triſtior, ſi ſolus carnibus veſci debuiſſet.

2. Ceterùm ſi Molinæus æſtimat, Romæ gulam domitam pluris fieri, quàm domitam luxuriam, & ideò miratur macella ſimul & proſtibula non claudi; errat profectò: nam gulâ domitâ, domatur ſimul luxuria. Lutherus, qui incraſſatus, impinguatus recalcitrauit, continere vltra quinque dies proculdubiò potuiſſet, ſi ieiunaſſet in Quadrageſimâ dies quadragenos, ſi Feriâ ſextâ & ſabbato, hoc eſt dies quotannis ampliùs centenos, à carnibus abſtinuiſſet. Quippe ſuperfluum ſecundæ digeſtionis appellant Medici & Philoſophi humorem, ex quo in nobis prurit luxuria; ſed nihil redundat, dum in ieiunio neceſſaria quoque ſubtrahitur ſuſtentatio. Quocircà in Quadrageſimâ, dum ſuas lanij tabernas claudunt, ſimul luxurię pruritus non parum hebetatur.

3. Interim quia toto anno patere in Vrbe Româ lupanaria Sedani pariter Molinæus

næus exprobrauit, pronuntiauitque Romanum Pontificem excuſari non poſſe proptereà à culpâ letali, dum hoc permittit. Quem inſuper maiori cum iniuriâ fouere in Eccleſiâ & ſtabilire fornicationem, affirmauit in libro quem inſcripſit clypeum fidei (etſi eſt potiùs clypeus referens fidem mortuam atque proſtratam, iuxta Spartanæ mulieris antiquum dictũ, *Aut cum hoc, aut in hoc*) quia, inquam, hæc adeò frequenter blaterat, iterauitque pariter eadem nuper, dum extremo Autumno erat Leodij; poſſem ego ſophiſtam hunc maledicum, & qui abutitur Theologi nomine, arguere inconſtantiæ, ex iis dumtaxat quæ aliquando ipſemet de vi & naturâ permiſſionis diſſerüit. Sed malo à Theologis noſtris diſcat, quàm vt videatur noſtrorum aliquem docere; præſertim quia ſi quid promit interdum ſanæ doctrinæ, id è noſtris haurit fontibus puris limpidiſque, non autem ex cloacis Caluini vel Bezæ cœnoſis ac lutulentis.

Plutarchus

In Anatom. Armenianiſmi.

4. Vt ſummatim dicam, quidnam ſit, & quotuplex permiſſio; ea generatim ſumitur aliquando, accommodaturq; etiam ijs rebus, quæ nec prohibentur nec præcipiuntur. In quo ſenſu accepta comprehendit quoque minora bona; quando hæc eliguntur, poſthabito bono maiori: vti quando

S.Thom. in 4. diſt. 33. q. 2. a. 2.

do Matrimonium eligitur potiùs quàm Virginitas vel Cœlibatus. Sumitur deinde magis peculiariter, vti ad ea refertur, quæ ſunt & iudicantur mala: atque hæc diſtribuitur in duas; nempe in permiſſionem facti, atque in permiſſionem iuris. Permiſſio facti eſt, quâ Princeps aliquis tolerat prudens ac ſciens ea quæ ſunt mala; nec lege vllâ, aut vllo præcepto impedit, aut prohibet, quo minus ea fiant. Permiſſio iuris eſt, quâ idem Princeps legem fert; ac permittit, vt mala illa fiant, quæ aliàs prohibita erant. Hæc porrò lex interdum confert ſolam immunitatem, efficitque vt mala impunè fiant; interdum confert exemptionem, hoc eſt, prohibitionem tollit, efficitque, vt ſine culpâ deinceps fiant, quæ ſine culpâ priùs fieri non ſolebant: atque hoc pacto in veteri lege, vxorum numerus, libellus repudij, vſura cum alienigenis, ingreſſus in vineam alterius, & eſus vuarum eius permittebantur. Permiſſione illâ generatim acceptâ, quæ complectitur minora bona, fornicatio à nullo Chriſtiano Principe poteſt permitti; quia eſt res ſemper mala, cùm inter diuina præcepta ſecundæ tabulæ tertium ſit, non mœchari. Quod ſpectat ad permiſſionem propriè acceptam, & quæ ſolet referri ſemper ad res malas; poteſt for-

Suar lib. 9. de Legibus c. 6. à 9. art. vſq; ad 10.

fornicatio permitti permiſſione facti, ſtudio vtique vitandi maius malum. Id enim citra omnem culpam ſæpenumerò fit. Quemadmodum citra culpam eſt, quòd Deus permittat hoc genere permiſſionis, multa peccata, quæ impedire poſſet quò minùs fierent, nec vult impedire tamen; ſed potiùs directè vult ſinere vt fiant, quemadmodum loquitur Suarius. Imò S. Thomas docet, in actu permiſſionis diuinæ ineſſe bonitatem, etſi bonitás ea deſit in obiecto eiuſdem actus. Alibi etiam, *Humanum regimen*, inquit, *deriuatur à diuino regimine, & ipſum debet imitari. Deus autem quamuis ſit omnipotens, ac ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in Vniuerſo; quæ prohibere poſſet, ne ijs ſublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam maiora mala ſequerentur.* Sic ergo & in Regimine humano, illi qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne in aliqua mala peiora incurramus. Rectè ideò meretrices hac permiſſione facti permittuntur ac tolerantur: atque hæc eſt ſententia expreſſa Diui Auguſtini: qui, *Aufer*, inquit, *meretrices de rebus humanis, & turbaueris omnia libidinibus.* Ex eo capite perinde etiam ſanctus Thomas aſſumit, tolerari poſſe ritus Iudæorum, ritus infidelium, & ali-

Lib. 10 de Naturâ legis c. 15. à n. 7.
De Vero q. 8. a. 1.
2. 2. q. 10. a. 11. in corp.

In lib. de Ordine.

aliquando etiam ritus Hæreticorum, in regionibus, atque vrbibus, in quibus magna eorum ſit multitudo. Nam iudicat tunc locum habere parabolam de zizaniis non eradicandis, quando nimirum metui poteſt ne ſimul triticum eradicetur. Quòd ſi ergo permiſſio facti congruè tribuitur Deo, Rectori ſummè bono; & ſi eadem permiſſio eſt in Deo actus bonus, erit etiam actus bonus in Rectore vnius Principatus, dum is, ob cauſas conſentaneas, prudens ac ſciens meretrices permittet, nec vllâ lege, præcepto, pœnâ impediet, quò minùs eæ ſint in ſuâ ipſius ditione vel Principatu. Matth. 13.

5. Adhæc, ſimplex fornicatio poteſt à Chriſtiano Principe etiam permitti permiſſione Iuris, ſed eâ tantùm quæ conferat immunitatem, non auferat verò culpam; imò nec pœnam etiam auferat, quantum attinet ad obligationem illius, ſed ſolùm diſſimulet eiuſdem pœnæ executionem. Vt enim loquitur ſanctus Thomas, *Lex humana dicitur aliqua mala permittere, non quaſi approbans, ſed quaſi ea dirigere non valens.* poſſe autem permitti hac permiſſione Iuris, quæ fundatur in præcepto poſitiuo, & quæ malum permittit per legem poſitiuam, ſtatuens vt non puniatur is qui aut omittit bonum, aut committit malum 1.2.q.93. art.3. ad 3.

(in quo differt à permiſſione facti, quæ includit ſolam negationem impedimenti, non autem præceptum ſtatuens, ne is qui deliquerit puniatur, cùm prohibeat ſemper ne malum fiat, & præcipiat ſemper vt fiat bonum) poſſe inquam meretrices permitti eâ permiſſione Iuris, probatur inductione manifeſtâ: quia circa ritus Iudæorum exſtat talis permiſſio Iuris, daturque eis facultas vtendi Synagogis, ac celebrandi more perueteri feſtos dies anniuerſarios legis eorum. Imò exſtat hæc eadem permiſſio Iuris in Euangelio ipſo: nam omnes & Patres & Scripturæ ſacræ Interpretes, tamquam permiſſionem Iuris accipiunt verba Chriſti de tritico, deque internatis eidem tritico zizanijs; hoc eſt, *Sinite vtraque creſcere*: eaque referunt ad permiſſionem Iuris, quæ fiat per legem poſitiuam, & quæ ſtatuat vt maneant hæretici, quando eſt periculũ ne tollendo Catholici detrimentum graue patiantur. Itaque poterit perinde fieri permiſſio Iuris, in formâ legis poſitiuæ, cuius vi tolerentur in Principatu aliquo meretrices.

In Extrau. de Iudæis. c. Iudæi. c. Conſuluit. c. Etſi Iudæus. In Decret. diſt. 45. c. Qui ſincerus.

Matth. 13.

6. Porrò illud aduertere oportet, quod Salas docet; permiſſionem videlicet non habere vim legis, niſi vti obligat alios, ne impediant in exequendâ eâ re quæ permittitur,

De Leg. tract. 14. diſp. 3. ſect. 4.

titur, & vti efficit ne puniantur legis violatores, dum ij malè agunt. Etiamſi enim ipſos malè agere, res eſt quæ cohoneſtari non poteſt; at poteſt cohoneſtari ſaltem Principis permiſſio, quæ fiat præcepto poſitiuo. Ita exercere ritus infidelium, aut Iudæorum, aut Hæreticorum, eſt graue malum; at permittere exercitium eorumdem rituum, vt maius malum tollatur, vel obtineatur maius bonum, eſt, vt dixi, actus honeſtus. Mœchari perinde eſt graue malum; at hoc permittere, interdum eſt actus bonus: numquam tamen, vt dixi, fornicatio permitti poteſt à Chriſtiano Principe eâ Iuris permiſſione, quæ tribuat exemptionem, ſeu efficiat vt ſine culpâ exerceatur; neque enim eſt ex illis actibus malis, qui ex circumſtantiis quibuſdam cohoneſtari poſſunt. Quo pacto, etſi Chriſtianos perſequi malum eſt, non ideò remiges Chriſtiani in Turcarum triremibus peccant, quando piraticas ſuas remis promouent, dum hæ Chriſtianos perſequuntur: nam id agunt vt euitent proprium damnum, quo afficerentur grauiter, ſi ſegniùs remigarent. Item etſi res mala eſt homicidium; fit nihilominùs res licita, ſi accedat moderamen inculpatæ tutelæ. Eſt itaque fornicatio ex iis actibus malis, qui non poſſunt ex circum-

ſtantiis vllis fieri actus boni; ex quo genere ſunt, coram Iudice legitimo fidem negare, conculcare res ſacras, ad torum alienum aſpirare, ac dicere in Superos vel Deum atrocia verba.

7. Ex iis quæ dixi apparet, poſſe Romanum Pontificem, citra onus conſcientiæ, in ditione propriâ meretrices tolerare ſeu permittere, tam permiſſione facti, quàm permiſſione illâ Iuris, quæ dat ſolam immunitatem, culpamque non adimit, ſed dumtaxat executionem pœnæ diſſimulat. Reipsâ nihilominùs Pontifex, vti eſt ſimul temporarius & Eccleſiaſticus Princeps, & præſertim vti eſt Romanæ Vrbis Epiſcopus, haud ſinit eas corpus ſuum impunè proſtituere. Quippe ab vſu Sacramentorum, tamquam impuræ & propter luxuriam corporis marcidæ animæ, arcentur; mortuæ verò templis & cœmeteriis piorum carent ſolamque extra mœnia Vrbis, in loco fœdo ac tetro, obtinent aſini ſepulturam. Hæ autem grauiſſimæ ſunt pœnæ, & quas, inter hæreticos, Miniſtri numquam meretriculis ſuis irrogarunt: neque enim ſicut ob alia delicta, ita propter fornicationem eiuſmodi, Cœnâ ſuâ eis interdicunt; quamquam excuſandi ſunt, quia in eâdem ipſorum Cœnâ, tam panis quàm vinum nihilo plus

plus ſanctitatis habent, quàm habeant, aut panis apud piſtorem, aut vinum apud œnopolam in tabernâ. Certè iſtiuſmodi pœnarum terrore ſunt ſæpenumerò quæ ineunt conſilium vitæ honeſtæ, imò vitæ aliquando etiam ſanctæ: nam earum aliquæ vel nubunt, & ſunt contentæ iuſti tori ſolâ voluptate, vel fiunt illuſtres Pœnitentes, intra Cœnobij ſepta, quod Romæ fundatum eſt ad eas excipiendas. Eſt & aliqua circa modeſtiam earum diſciplina: nam ſi publica dederint exempla licentiæ vel petulantiæ, mulctantur; carnificis manu cæduntur virgis, & ſententiam exilij accipiunt. Rhedarum vſus quoque eſt eis ademptus, ſicut olim Domitiano Principe vſus lecticarum; vt hic honor pariter à probroſis feminis matronas honeſtas diſcriminet. Adhæc in Aduentu, in Quadrageſimâ, &, ſi rectè memini, in Feriâ ſextâ cuiuſuis hebdomadæ, nulli apud eas licet pernoctare, propoſitâ pœnâ carceris, & mulctæ grauis. Sueton. in Domit.

8. Quæ cùm ita ſe habeant, ne permitti quidem omnino, eo vtroque genere permiſſionis, Romæ meretrices fermè videri poſſunt; quandoquidem has incontinentiæ pœnas exſoluunt. Cur tamen ſint aliquo modo, hæ cauſæ potiſſimæ vrgent: ne videlicet homines lubrici, exemplo Calui-

 ni

ni & Bezæ, abeant in carnem alteram: quocircà Thuanus refert, eas Romæ à Pio V. Pontifice reſtitutas, cùm initio Principatûs faceſſere illas iuſſiſſet. Item ne ijdem incontinentes viri fructum carpere tori alieni, aut puellarum florem audeant. Confluunt enim Romam nationes, & earum aliquæ aſſueuerunt plerumque in Prouinciis multiloquio cum feminis; in quo maximè non deerit peccatum. His niſi pateat aditus ad proſtitutas ſaltē mulieres, aſpirarent ad matronarum aut puellarum honeſtatem; atq; ideò pudicas vel maritales domos crimine, aut ſaltem ſuſpicione criminis, aſpergerent.

9. Peculiariter cur lex humana non puniat ſimplicem fornicationē, ſicut eam punit lex diuina, hoc ita explicat Abulenſis:
In Geneſ. cap. 19. *Non decebat*, inquit, *quòd lex diuina & humana ſimul punirent fornicationē, nec quòd ambæ ſimul vetarent; ſed quòd vna vetaret, altera permitteret. Si enim vtraque vetaret, homines qui mali ſunt, fugientes punitionem, quæ datur à lege humanâ, conuerterentur ad alia peiora mala, quæ ſunt magis occulta.* & paulò pòſt: *Nunc autem, quia lex diuina vetat, illi qui boni ſunt, & timentes Deum, propter iſtā prohibitionem, fornicationem fugiunt; qui autem mali ſunt, non curantes de iſtâ prohibitione, ad peiora non conuertuntur.*

10. Quid

10. Quid ſi dixero, Scripturam ſacram, ne meretrices ſint, numquam prohibuiſſe? en idem Abulenſis, magnus in eâ magiſter; *Omnes*, inquit, *Politiæ humanæ meretrices tolerant, vt maiora excludant mala: lex autem Euangelica, quæ nullum malum permittit, etiam hoc non permittit; quamquam ſpecialiter non prohibet.* ſic ipſe: quaſi diceret; non prohibet, ne eæ poſſint permitti. In veteri dein Teſtamento crebra fit earum mentio. Iudas enim Thamar nurum ſuam compreſſit in habitu diſſimulato & meretricio. Salomon inter meretrices litem de filiis, ſuperſtite altero, & altero exſtincto, expediuit iudicio ſapientiſſimo. Prophetarum aliquis iuſſus eſt vxorem accipere meretricem, quam vtique accerſere ab Indis & Garamantis nō oportuit, cùm eæ infames mulieres in Iudæâ eſſent, & permitterentur.

In cap. 19. Leuit.

Gen. 38.

3. Reg. 3.

Oſeæ 1.

11. Aliter cum adulterio agebatur, cuius nimirum actus, & permiſſio illius, peræquè interdicebatur; eratque pœna in adulteros conſtituta, nempe vt lapidibus obruerentur. Contrà ſolus ſimplicis fornicationis actus prohibitus fuit, non verò prohibita eſt vmquam permiſſio eius, nec pœnæ latæ ſunt in mœchos & fornicarios. Sicut verò diximus, permittere crimen nihil cenſeri aliud, quàm crimen non punire; ita nec

 cen-

cenſeri aliud debet crimen punire, quàm idem crimen non permittere.

12. Exemplum ſtatuo in re haud omnino diſpari: vetat lex homicidium, permittebatur nihilominùs conſanguineis hominis occiſi, vt homicidam perimerent, niſi reciperet ſe in ciuitatem refugij; & ea fuit permiſſio Iuris, lata per legem poſitiuam. Denique humana lex permittit viro, vt adultero atque infidæ vxori mortem inferat, deprehenſis in ſcelere; & vt manum iuſtitiæ ſeu publicæ ſeueritatis non exſpectet.

13. Exempla, quæ in alijs præceptis ſuppetunt plura, prætereo quidem; ſed vnum addo quæſtiunculæ accommodatum, quam haud ita ſanè mundâ excitauit Molinæus. Vetitum erat Iudæis, ne ſuillas carnes ederent, néve eas immolarent. At non ideò eis erat vetitum, ne ſues alerent, néve in vrbibus aut prædiis propriis ſaginarent: cùm
Matth. 8. ſatis conſtet dæmones intraſſe in porcos ad mare Tiberiadis: qui vtique pro Romanis & aliis Ethnicis alebantur. Sic ergo vetitum perinde fuit meretrices adire, & ſcortari cum eis; non autem meretrices permittere, ſeu eas tolerare. Ceterùm, an hoc idem ſit atque eaſdem ſtabilire, iudicabunt
In cap. 8. l. 1. Reg. ij, qui erunt Molinæo æquiores iudices. *Licet leges humanæ*, inquit Abulenſis, *aliqua mala*

mala permittant non puniendo, nullum tamen malum permittunt ſtatuendo.

14. Sed meum eſt iam rogare, cur Sectarij noſtri huius æui exprobrent Romano Pontifici, libertatem ab eo illis dari, qui mœchari voluerint; ſi ſolos ipſi mœchos habuerunt Euangelij ſui reformati auctores & magiſtros. Mœchus enim Lutherus fuit; Caluinus verò & Beza mœchis fuerunt nequiores. Nónne viris, Ordine ſacro ſaltem, & profeſſione religioſâ caſtis, obtrudunt ſæpè mulierculas; & quaſi deſint lenones, nónne Miniſtri exercent ſe in officio eo charitatis? Adhæc Sectarij permittunt alia ſæpenumerò, quæ ſunt magis grauia. Ebrietas ab eis paſſim non permittitur modò, ſed eſt in honore etiam, & maius vitium eſt tamen, quia eſt ſimul luxuria: cùm enim ſanctus Paulus dicat, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*; exinde fit, vt ebrietas ſimul luxuria eſſe videatur. Ad hanc certè vinum frequentiſſimè impellit, quia, vt loquitur ſanctus Hieronymus, venter ſi vino immaduerit, deſpumat luxuriam; & ebrietas iuſtum Noë ad obſcœnam nuditatem, Loth verò ad inceſtum adegit. Ephef. 5. Gen. 9. Gen. 19.

15. Vt concludam, quia permittere mala, eſt ſolùm mala non punire; & quia me-

retrices Romanus Pontifex ita Romæ tolerat, vt aliquo modo etiam eas puniat; intelligat Molinæus, malè eumdem Pontificem, quaſi culpæ ideò ſit reus, abs ſe traduci, vel damnari.

CAPVT XIV.

Ineptè à Molinæo recenſentur publicæ pœnitentiæ inter abuſus Eccleſiæ Romanæ.

Où les Penitens ſe foüettent en public pour les pechés d'autruy.

1. ROmæ, inquit ipſe, Pœnitentes publicè flagellant ſe, ob ea quæ peccauerint alij.

Miror, præconem Euangelij tam celebrem carpere pœnas illas, quæ ob aliorum piacula ſubeuntur; cùm hoc in Scripturis ſacris eſſe quid heroicum exiſtimetur.
Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem*, inquit Chriſtus Dominus, *nemo habet, vt animam ſuam po-*
Iſai. 53. *nat quis pro amicis ſuis.* Iſaias verò, *Ipſe autem*, inquit, *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.*

2. Sed enim dum hoc reprehendit Molinæus, nec laudat illos qui ſibimet humeros proprios laniant flagellis; excuſari poſſet,

ſet, dummodò vellet fateri, proptereà id à ſe non probari, quia abſque infamiæ metu nequiuiſſet Caluinus hoc perinde agere; humero enim nudato, ſtigma ei impreſſum Nouioduni ſtatim patuiſſet. Alioquin ſi hoc ſeriò improbat, aut ex Epiſtolâ diui Pauli expungat illud: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* aut ſe reprobum agnoſcat, ſeu deſerat nomen Prædicantis. 1. Cor. 9.

3. Interim quis ignoret, ex antiquiſſimâ veterum Canonum cenſurâ, pœnas fuiſſe inflictas iis qui peccaſſent? Ipſimet Augusti, & Reges, & Principes in his pulchris inſtitutis ac moribus ſplenduerunt, ne vilis videatur aut obſcura conſuetudo. Philippus Auguſtus Pater, qui cum Philippo filio Chriſtianam fidem profeſſus fuerat, quoties poſt Baptiſmum admiſit ea propter quæ debuit ei ſacris interdici, toties obitâ publicè exomologeſi, magno pietatis exemplo, ea diluit. Theodoſius Magnus expiauit cædem Theſſalonicæ, ad liberã vocem Ambroſij Epiſcopi, monentis, vt qui ſecutus fuerat Dauidem errantem, ſequeretur pœnitentem; & in templo proſtratus humi, ac gemebundus, *Adhæſit pauimento,* inquit, *anima mea: viuifica me ſecundùm ver-* Baron. & Spondan. Bzouius. Pſal. 118.

verbum tuum. Pipinus I. non niſi calceis exutis ac nudo pede ad Confeſſionem ſacram acceſſit. Carolus Magnus, ſi in vegetâ ætate minùs ſanctè caſtitatem coniugij ſeruauit, ſenile corpus iugi veſte cilicinâ afflixit; eaque pœnitentiæ gloriâ maculam illam exterſit. Svveno Cimbrorum Rex, propter iniuſtam necem illatam quibuſdã Regni Magnatibus, à S. VVilhelmo Epiſcopo Roſchildenſium, pedo ſacerdotali, eiectus ex loco ſacro, piè & conſtanter repulſam tulit; exuitque mox inſignia maieſtatis, & cum ſagulo Pœnitentium in templi aditu proſtratus, tamdiu exſpectauit, donec veniam dederit ſanctus Epiſcopus, eumque piorum cœtui reſtituerit. Sed & biduo pòſt, ornatus Regio paludamento, intra idem templum, poſtquam fuerat ritu ſolemni aris perlitatum, ex alto pegmate accuſatione graui ſemet perſtrinxit, ac ſancti Epiſcopi laudatâ indulgentiâ, qui ſtatim crimen condonaſſet, pro eiuſdem criminis expiatione addixit Eccleſiæ vnius Prouinciæ dimidium. Henricus II. Rex Britanniæ, poſt ſancti Thomæ Cantuarienſis cædem, obſecutus prompto animo Legatis Pontificijs, extra valuas Eccleſiæ, nixus genibus, abſolutionem ab eis accepit. Poſteà ex Normanniâ in Regnum traijciens, Cantua-

tuariæque metropolim conſpicatus ex longinquo, pauperis ac ſerui ſchema induit; nudiſque pedibus, ac fermè nudo etiam corpore, niſi quòd lacernâ humili tegeretur, vrbem intrauit; perque aſperſas luto plateas, lacrymabundus, ſancti Martyris ſæpulchrum adijt: ibi vigil ac ieiunus in oratione noctem exegit, donec dies illuceſceret, ac ſol ipſe intereſſet ſpectaculo tam illuſtris pœnitentiæ. Tum verò caput inferens in tumuli oſtiolum, nudoſque humeros Epiſcopis Regni & Monachis Cantuarienſis Eccleſiæ præbens, ipſe Rex, quinquies ab vno quouis Epiſcopo, ter à ſingulis Monachis, qui numero erant octoginta, virgis cæſus fuit. Godefridus Dux Lotharingus exutus ab Imperatore propria ditione, propter incendium Verdunenſe, in quo ipſa Deiparæ Virginis ædes conflagrauerat, pœnitens facti, voluit publicè flagellis cædi, & capillos, ne tonderentur more pœnitentium, ære ſatis amplo redemit; nec ſumptus modò liberales repræſentauit, vt moles ea templi exuſti rurſus exſtrueretur; ſed ipſe amictus vili penulâ & inſtar cęmentarij, idemtidem fabris murariis eſt famulatus. Meruit verò ſingularis ea pietas in hac vitâ quoque præmium conſentaneum: nam paulò pòſt, connubio inito cum Beatrice

trice Tuſciæ ac Liguriæ Dominâ, in parte maximâ Italiæ obtinuit Principatum.

6. Hos Auguſtos, hos Reges, hos Principes, nos verè Chriſtianos eſſe arbitramur, atque imitatores ſancti Pauli: quemadmodum hic erat Chriſti verus imitator. Pœnitentiam autem pro admiſſis, aut propriis, aut aliorum culpis, laudamus inprimis, & ad remiſſionem peccati eam eſſe neceſſariam cenſemus. Id vt faciliùs Molinæo perſuadeatur, referam hoc loco theſes Oxonij propoſitas ac defenſas proximè ſuperiori anno cum hac epigraphe:

Ad remiſſionem peccati grauioris neceſſaria eſt pœnitentia actualis.

Crudelis pomi malè fauſtus ab arbore raptus
Perpetüis mundum merſerat in lacrymis.
Quid faceret tragici proles infauſta parentis,
Cui nō tam vitæ eſt quàm necis ille parens?
Quid faceret? puro niſi formoſiſſimus amne
Ille ſalutiferis fons ſacer iret aquis?
It verò, & teneram vocat alma in flumina gentem.
Iſto qui niueum ſpargitur imbre latus,
Exuit Adamum & veteris mala ſemina culpæ,
Protinus & ſacris iam nouus exit aquis.
Scilicet huic mites fons ille accōmodat vndas,
Ne deſit tenero lacryma multa reo.

At

At tibi robuſto, cui flore ferocior ætas
Et vitam & vitæ crimina adulta dedit,
Indole cui miſerâ, creuit cum robore culpa,
Si qua grauem maculam triſtior hora tulit;
Quærendi non ſunt alieno è flumine rores:
Crede mihi, eſt vndis illa pianda tuis.
Forſitan aſsiduis quæ circum plurima pennis
Inferni volitat gens minor illa chori,
Forſitan aſsiduis illa eſt arcenda medelis,
Aut planctu, aut gemitu, murmure, vel lacrymâ:
At moles vbi ſæua mali vorat vndique mentem,
Turbine quam triſti maior Erynnis agit;
Non hæc aſsiduis, non eſt arcenda medelis,
Non planctu, aut gemitu, murmure, vel lacrymâ:
Sed planctu, & gemitu, lacrymaq; & murmure, & omni
Quod ſæuum atque atrox ira doloris habet.

ERGO

Delicti veniam, grauiùs poſt flumina ſacra
Peccanti, ſolum POENITVISSE *dabit.*

Si ſtuderet huic Theologiæ Molinæus, non vtique aduerſus eos latraret, qui pro admiſſis aut propriis aut aliorum culpis mœrent, aut ſe idemtidem flagellant.

CAPVT XV.

An iuſtè Romanus Pontifex pro ſacerdotijs & pro diſpenſationibus admittat vel exigat iura conſueta.

Où s'exerce vn trafic d'annates, de benefices, de diſpenſes & abſolutions.

I. ROmæ ait Molinæus eſſe nundinas perpetuas, Sacerdotiorum, diſpenſationum atque abſolutionum: vtitur verò eâ celebri voce, & hoc tempore inuidiæ plurimùm obnoxiâ, nempe *annates.*

Summus Pontifex non patrimonia laicorum, ſed Eccleſiaſticorum prouentus exigere ſolet, quoties alicui eorum ſacerdotium confert. Idqueagit eâ moderatione, vt vnius anni reditus dimidios ab eis poſcat. Quiſnam à Principe proprio terrarum iugera & latifundia non acceptaret, cum onere repræſentandi prouentum primi anni eidem Principi erga ſe tam benefico? aut quis hoc eſſe onus graue vmquam quereretur? Hæc tamen querimoniæ, quod ad Romanum Pontificem ſpectat, iam paſſim audiuntur. Attamen quod ei penditur velut vnius anni prouentus, dimidium eius, vt dixi, non excedit: imò ſæpiùs nec dimidium dimidij, nec huius etiam dimidium æquat; quamuis appellari ſoleat vocabulo com-

communi *annata*. Exemplo ſint Sacerdotia ſeu Canonicatus, quos Romanus Pontifex cis Alpes, in Septemtrione, apoſtolicis menſibus confert. Pro ſingulis eorum pendere ex pacto aureos quatuor & vicenos oportet; quid eſt ea ſumma, ſi comparetur cum aureis millenis, quos annuè Canonicorum aliqui percipiunt? Conſtat deinde, eadem iura Romæ multò exigi benigniùs, hoc eſt, taxatione multò exiliore, quàm cùm Epiſcopi in menſibus propriis Sacerdotia diſtribuunt. Conſtat prætereà, ſuffragari Pontifici Romano antiquiſſimam poſſeſſionem, atque adeò Principum, Regnorum, Prouinciarum, Regionumque Orbis Chriſtiani conſenſum. Conſtat demum, haud poſſe hoc videri nimiùm excedens tributum, ſi ad comparationem veniant dumtaxat oblationes neceſſariæ, quæ olim templo Ieroſolymitano & Sacerdotibus eius fiebant: cuiuſmodi erant oblatio pro ſingulis primogenitis tam hominum quàm pecudum, oblatio votorum & hoſtia pro peccato. Vt nihil dicam de oblationibus innumeris, quæ ſponte dari conſueuerant. Profectò ſicut populus credentium & eorum liberi, & greges, & vota, & peccata fermè ſupra modum creuerunt; ita ſupra modum creſceret id quod Summo Exod.21. & 27. Leu.4. 5.7.

Antiſtiti, hoc eſt, Romano Pontifici, iuxta veterem eam legem repræſentari deberet. Quod autem in præſentiâ eidem repræſentatur, ægrè aut vix æquaret æra minuta
Luc. 21. duo, quæ vidua illa inops, ſed pia, quondam in Gazophylacium miſit.

2. Interim conſiderare oportet, quoſnam ſumptus quotannis Romanus Pontifex exponere ſoleat in regimine omnium Eccleſiarum. Tres in Germaniâ, vnum in Galliâ, duos in Hiſpaniâ, vnum in Poloniâ, vnum in Belgio, quatuor in Italiâ Nuntios Apoſtolicos habet, qui tueantur religionem pariter & Iuriſdictionem Primę Sedis. Seminaria inſuper nationum alit; & ex iis quidem aliqua, vti Fuldæ, ac Duaci, ex proprio ærario ſuſtentat. Sine opibus item ſeruare ditionem ſuam temporariam, ſacrum Cardinalium Senatum retinere in priſtinâ & præcipuâ dignitate, alia Præſulum tribunalia fouere, atque adeò pias Religioſorum familias largitionibus Romæ atque alibi nutrire numquam poſſet. Sæpenumerò debet ſtipendia ſubminiſtrare exercitibus Catholicorum Principum aduerſus Hæreticos, aut Barbaros; præter ordinariam triremium claſſem, quam habet contra iniurias piratarum, ne ora maritima Eccleſiaſtici Principatus pateat infeſtis

co-

eorum excurſionibus. Atque hæ fuerunt cauſæ præcipuæ, cur Bonifacius IX. Conſtitutioné ediderit de his annuis prouentibus vacantium beneficiorum exſoluendis: nam ijs recuperauit Patrimonium ſancti Petri, & conſcripſit exercitus, vt præſidia in eo collocaret, atque in mole Adriani munitionem Romanam extruxit. Conſenſere autem Nationes omnes Orbis Chriſtiani tam quoad Epiſcopatus, quàm quo ad minora Sacerdotia; dummodò ſolus Clerus Angliæ excipiatur, qui dumtaxat in Epiſcopatibus id oneris admiſit; impoſitum alioqui ante Bonifaciú IX. à Ioanne XXII. etſi ad tempus fortaſſe, vt Scriptores aliqui tradiderunt.

Alphonſ. Ciacconius in Bonifacio IX.

Geneb. Plat. Spond.

3. Æquiùs multò, ſi aut de Sacerdotiis antè dictis, aut de diſpenſationibus criminúmve abſolutionibus, quæ ad fori notitiam manauerint, loquamur; æquiùs multò, inquam, queri Molinæus deberet, iura eorum exigi abſque moderamine, vel titulo vllo, inter Sectarios ſuos. In Regno magnæ Britanniæ ſinguli Epiſcopatus, quoties vacant, debent Regi omnes prouentus vnius anni, quos primos fructus appellant; & quia ſublato è viuis copioſiore aliquo Epiſcopo, ſubſtituitur ei alius minùs copioſus, cunctique alij gradatim aſcendunt,

exinde fit,vt frequenter primos fructus omnium Epiſcopatuum Rex ſimul exigere videatur. Quod ad diſpenſationes ſeu abſolutiones attinet, Georgius Abbotus pſeudo-Archiepiſcopus Cantuarienſis, Sereniſſimo Regi Iacobo mulctam ſatis grauem ſoluit,vt haberet ab ipſo diſpenſationem in irregularitate, quam contraxerat fortuitò alium interimens dum venaretur. Poſſem Equitem Auratum eiuſdem Regni nominare, qui propter initum cum nepte matrimonium, abſque Regis diſpenſatione, coactus eſt pendere viginti quatuor aureorum millia. Quid Molinæus ad iſta? hoc eſt profectò Sacerdotia, diſpenſationes abſolutioneſq; nundinari; ſi nundinas vocat, iura æquiſſima, quæ cum longè aliâ moderatione, ex pacto, vt dixi, atque conſenſu, & ex poſſeſſione perueteri, ac demum cum titulo iuſtiſſimo,à Pontifice Romano, Eccleſiæ vero ac ſupremo Præſide,exiguntur.

CAPVT XVI.

Referuntur & confutantur aliquot alij errores Molinæi, tam circa Regulam fidei quàm circa Sanctorum Reliquias.

1. BAlzaco Molinæus quædam tribuit, aut potiùs imponit, quibus profectò

de ſe omnibus manifeſtum reddit, quàm ſit conſcientiæ depoſitæ, & quantâ deprauatione animi laboret. Omitto quæ de aulâ Romanâ, eiuſque prauis exemplis denuò adfert; neq; enim egent nouâ reſponſione, cùm de his alibi diſſeruerim: illud potiùs commemoro, ex quo, ſi vel cetera ſiluiſſet, impius & ſceleſtus hæreticus appareret.

Ait Balzaci religionem delicatam eſſe; neque admittere ex his quæ vulgus credit, aut quæ præſcribit Eccleſia, niſi tantùm illa, quæ ipſius proprio genio fuerint conſentanea.

Vous auez une Religion plus delicate, qui de ce que croit le vulgaire, & que voſtre Egliſe ordonne, n'en prend que ce qui eſt conuenable à voſtre humeur.

Res ipſa loquitur: ſatis eſt dicere, ſanctum Paulum à veris Chriſtianis exigere, vt captiuent intellectũ in obſequium fidei, à Molinæo autem virum Chriſtianum laudari, qui captiuet fidem in obſequium proprij genij; atque ab eo inſinuari tacitè, vniuſcuiuſlibet genium eſſe regulam infallibilem fidei. 2. Cor. 10.

Adhæc putat à Balzaco irriſui & contemptui haberi pietatem hypochondriacã eorum qui adorent oſſa, icones ornent, & eas exoſculentur.

Je ne doute pas, que vous ne vous mocquiez de la denotion hypocondriacque de ceux qui adorent des os, & baiſent & habillent les Images.

Tu enim verò, Molinæe, qui hæc improbas, & qui hanc ipſam Sanctorum venerationem hypochondriacam vocas, ſanandus videris hypochondrij curatione, quam Medici præſcribunt; hoc eſt, cremore tartari: ſed vtique illius Tartari, ex quo Lutheri & Caluini tartareæ animæ, in Miniſtros, progeniem ſuam, efflant ſpiritum ſatanæ.

2. Ceterùm nos Icones Cælitum veneramur, & exoſculamur oſſa eorum; quia Eccleſia Catholica ita nos inſtruxit, eademque omnibus anteactis ſæculis id ſemper in more habuit; adeò vt coactis Conciliis damnauerit tamquam hæreſim ſententiam eorum qui aliter docuerunt. *Diſputare*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quin faciendum ſit quod vniuerſa Eccleſia facit, inſolentiſſima amentia eſt.* agnoſcat itaque Molinæus ſapientiam ſuam. Quòd ſi idem ſanctus Auguſtinus alibi, *Ego verò*, inquit, *Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas*: quantò magis credere oportet, exhibendam venerationem eſſe Reliquiis & Imaginibus Sanctorum, cùm id ſuadeat tum eiuſdem Eccleſiæ, tum Scripturæ ipſius auctoritas? adeat Molinæus ſacram Regum hiſtoriam, leget in eâ hæc verba: *Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepul-*

Epiſt. 118. ad Ianuar. c. 5.

Lib. contra Epiſt. fundam. c. 5.

4. Reg. 13.

ſepulchro Eliſei; quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Alibi hæc habentur: *Mortuum prophetauit corpus eius.* Ineſt itaque Sanctorũ oſſibus virtus Dei, qui cuſtodire illa perhibetur; & venerationem ea virtus Dei promeretur.

Eccli. 48

Pſal. 33.

3. Præterea ſanctus Paulus veniens Epheſum, quotnam ibi miracula patrauit? nónne ſudaria illius & ſemicinctia ad abſentes ægros, ad energumenos miſſa, illos reſtituebant? Sed & ſancti Petri vmbra nónne ſanabat quoſcumque tangebat? Plus eſt Petri, vt ita dicam, in oſſibus, quàm in vmbrâ eius; & plus eſt Pauli in ipſius item oſſibus, quàm in eius ſudariis, quàm in ſemicinctiis. Ideò omnibus ſæculis omnes nationes, nec modò Epiſcopi atque Antiſtites magni, ſed Imperatores & Reges oſſa eorum adorauerunt; Baſilicas eis dedicarunt, &, vt verbis ſancti Ioannis Chryſoſtomi vtar, magnam gratiam putarunt, ſi non prope ipſos quidem Apoſtolos & Sanctos, ſed extra eorum veſtibula ſepelirentur, fierentque Reges ac Cæſares Oſtiarij Piſcatorum. Quod de Conſtantino Magno ſcripſit, qui ſibi ac ſucceſſoribus ſepulchrum ſtatuit Conſtantinopoli ante ſacram ædem Apoſtolorum, quam ideò ibi exſtruxerat, atque eorum Reliquiis locupletauerat.

Actor. 19.

Actor. 5.

Orat. Quòd Chriſtus ſit Deus.

4. Vt confundant inſuper Molinæum exempla Regum Barbarorum, nónne Attila Hunnorum Rex, quando cum ſeptingentorum millium exercitu in Imperij Romani viſcera penetrauit, multis ſæpè ciuitatibus pepercit propter Sanctorum Reliquias, quæ in eis colebantur? Fama miraculorũ, vti reor, ab Ethnico Rege obſeruantiam eam extorſerit; & fortaſſe eius tempore contigerat id, quod ſanctus Gregorius Magnus de ſancto Leone item Magno refert; nempe cùm dubitaſſent ex Græcis nonnulli de virtute Brandeorum (erant hęc vela ſeu ſudaria, quæ ſuperpoſita ſepulchro ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, virtute diuinâ ita imbuebantur, vt miracula ederent, & pondus quoque in ipſis augeretur) vnum ex illis, inciſum forficibus à ſancto Leone, confeſtim ſanguine manaſſe. Omitto tam certam olim fuiſſe perſuaſionem de virtute miraculorum in iiſdem Sanctorum Reliquiis, vt ſanxerint Patres ſecundi Concilij Cæſarauguſtani, eſſe probandas igni Reliquias repertas in templis Arianorum, & retinendas ab Epiſcopo vti legitimas tantummodò illas, quas flamma non læſerat.

3. Epiſt. 30. ad Conſt. Aug.

Baron. ad an. Chriſti 596.

5. Interim ne priſca ſolùm referam, miracula etiam nunc edit maxima in Sanctorum

rum ſuorum Reliquiis Deus, quæ à nemine ſanæ mentis negari aut obſcurari poſſunt. Neapoli ſanguis ſancti Epiſcopi & Martyris Ianuarij, cùm in phialâ ſemper conſtrictus appareat; quoties tamen iuxta eiuſdem ſancti Martyris caput ponitur, liqueſcit illicò & ebullit; videturque clamare etiam ſanguis huius iuſti Abel coram Deo contra Sectarios noſtri huius æui, qui Sanctorum Reliquiis omnem cultum & venerationem detrahere conantur. Barij de ipſo genu ſancti Nicolai Epiſcopi perennat liquor, cui admiratio pariter vocabulum illud antiquum *Manna* promeruit; eâque fluit copiâ, vt ampullulæ centenæ ac millenæ, ob curationes ægrorum, ex illo diſtribuantur. Bononiæ viſitur à ducentis ampliùs annis beata Catharina tam integra, vt ſedeat perinde ac ſi adhuc ſpiritum duceret, nouiſque amiciatur veſtibus: cùm ei diu creuerint vngues, creuerintque crines, & præſecti plurimis etiam ad valetudinem profuerint. Aſſiſij adhuc pedibus ſuis inſiſtit corpus integrum ſancti Franciſci. Oſtenduntur in Monte-Falco terni ex carne globuli, in ſanctæ Claræ Virginis corde cælitus nati, tamquam in conchylio gemmæ; & eo nomine ſunt admirandi, quòd euincant diuinitus, Deum Vnum & Trinum eſſe:

nam ita ſunt æquales pondere, vt in trutinâ commiſſi, tam vnus, quàm duo, quàm tres, vnius ponderi reſpondeant ex æquo: ſic Patri æterno æqualis eſt Filius; Patri & Filio æqualis eſt Spiritus ſanctus: neq; aliquid plus cenſeri poteſt vnus Deus quàm ſint hi tres, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Nihil attinet iam dicere de tranſlatâ ante annos ampliùs trecentos ex Illyricorum oris, per ſinum Adriaticum, ædiculâ Virginis Deiparæ in Picenum agrum; quæ abſque fundamentis adhuc ſupra dumos hæret, nec vllis circum parietibus fulcitur.

6. Sed hæc miracula adire tam peregrè, & in Italiam proficiſci non audeat Molinæus; quandoquidem dixit fore, vt ſtatim combureretur, ſi aliquando Romam iret. Adeat ſaltem propinquas regiones, in quibus ea pariter non deſunt. Atrebati eſt Candela, quæ ſola poſſet illuminare tenebriones illos omnes, qui Sanctorum aut Imaginibus aut Reliquiis cultum ac venerationem adimunt: accenditur ea frequenter, & præſertim in omnibus anniuerſariis celebritatibus beatiſſimæ Virginis; diuque ardet, nec tamen minuitur, ſed perennat: quamuis & flammulam nutriat & perfluat guttis deciduis, quæ ſufficiunt ad habendos ex eâ cereos minores. Nota temporis, in

quo

quo primùm cœpit ante ſacram iconem Virginis conſulgere, ſuumque retinere lumen abſque ceræ diminutione (ſicut eadem Virgo habuit fecunditatem & partum abſque diminutione Virginitatis) nota inquam illa temporis exprimitur feliciſſimè in vnicâ eâ voce *CereVM*.

7. De ſancti Huberti admirabili curatione, peto an Molinæus eam poſſit ignorare; vtpote qui Sedano tam propè abſit, vt vno die adire liceat. Inſeritur fronti tenue licium ex eiuſdem Sancti ſacerdotali ſtolâ, quam ad eum attulit ſidereus nuntius, & citra omne dubium à rabie curat, perſanatque omnes; ſed & ſtola ipſa, quotannis deciſa, vt medeatur, numquam deficit; imò quia cæleſte donum eſt, refert ipſiuſmet cæli æternitatem. Notabile illud fuit, filium Caluini fruſtrà expertum alia quæuis amuleta, miſſum Geneuâ Andainum ab impio & ſacrilego parente, vt ibi ope ſancti Huberti à rabidi canis morſu curaretur. Quemadmodum ille reipsâ ibidem, abiuratâ ſimul hæreſi, ab vtraque, hoc eſt, caninâ & Caluinâ, rabie conualuit. Exſtant verò de eâ re carmina Bartholomæi Honorij, Poëtæ illius ætatis, quæ nunc ex parte referam:

Ioannes Roberti in Vitâ eiuſdē Sancti.

Quod-

Quodq́; precabatur Superos, erat, vt ſibi vellent
E membris morbum pellere tabificum;
Néve ſibi obijcerent maleſani dogmata patris,
Quæ modò per mundi climata nota forent:
Nam ſe cum ſtolido non conſentire parente
Velle, ſed in veteri Religione mori.
Hæc vbi fatus erat, ſacrâ cum veſte Sacerdos
Prodijt, illius vulnera dira fouens.
Nec multos manſiſſe dies narratur ibidem,
Quin fuerit dono ſanus, Huberte, tuo.
Sparſerat intereà Caluinus in vrbe Geneuâ,
Saxonicas natum nuper adiſſe plagas.
Ille quidem dignus, non qui luat à cane tali
Vindictam, ſed quem Cerberus ipſe voret.

8. Multò minùs ignorare Molinæus poteſt, miſſam è cælo, in columbulæ ore, ampullam Chriſmatis, adhuc à ſancti Remigij tempore oleum dare inaugurationi Chriſtianiſſimorum Regum Galliæ; nec pariter ignorare poteſt, ab iiſdem Chriſtianiſſimis Regibus ſolo contactu ſtrumas ſanari. Quæ omnia hactenus à me narrata, ſunt enim verò miracula manifeſta, & fiunt in prouinciis, in quibus viget Religio Catholica Apoſtolica Romana. Proferat iam Molinæus miracula ſeu Lutheri ſeu Caluini aliqua pro Euangelij reformati confirmatione: neceſſitas vrget, quia eiuſmodi Euan-

An. Chriſti 500.

Euangelio multi non credimus, & veri Euangelij confirmationem à miraculis petendam eſſe, Chriſtus Dominus & Apoſtoli nos docuerunt. Iuxta Sectariorũ Euangeliũ, verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant dumtaxat, non ponunt in Euchariſtiâ verum Chriſti corpus; aut ita ponunt, vt ſubſtantia panis maneat. Nos Euangelio huic non credimus; ſed miracula exſpectamus, quibus id confirmetur: & tamen cùm hæc ipſis deſint, & ſemper defutura ſint, nulla eſt regio, quæ miracula certiſſima proferre non poſſit, pro aſſerendâ præſentiâ Corporis Chriſti in eâdẽ Euchariſtiâ, iuxta noſtrum, hoc eſt verum Euangelium. Sectarij perinde aiunt, nec Imaginibus nec Reliquiis Sanctorum deberi cultum aut venerationem: ſi poſſunt, miraculis confirment hoc alterum dogma Euangelij reformati; & oſtendant nos vtique errare, & quod plenis buccis declamãt, omnino idololatras eſſe. Videlicet deſunt hæc miracula ipſis, & ſemper deerunt; nos interim eis abundamus, oſtendimuſque, nos item verum Euangelium veramque Religionem ſectari.

8. Ne Molinæo fortaſſe plus nimio diſpliceam; tacitus præterire deliberaui ea quæ conatu ſanè ridiculo atque infelici ſeu Lu-

therus ſeu Caluinus edere miracula tentarunt. Inſinuo tamen, id ſemper Hæreſiarchas, illorum anteſignanos, pari exitu tentaſſe, vt in imagine ſaltem Lectori ea repræ-
S. Cyrillus. ſentem. Manes ægrotanti filio Regis Perſarum ſanitatem virtute diuinâ promiſerat, ſubmotis ab eius curatione Medicis, à quibus ſanari potuiſſet. Eo nihilominùs mortuo cùm fugiſſet in Meſopotamiam, retractus in Perſiam, à Regis ſatellite exutus pelle in pœnam fuit, ac feris obiectus: pellis verò in veſtibulo Regiæ ſuſpenſa diu manſit. Item quando Hunericus VVandalorum Rex Arianus, Epiſcopos Catholicos Africæ ad colendos agros, ad cædendas ſiluas relegauit, inter quos erat ſanctus Eugenius
S. Gregor. Tur. 2. hiſtor. 3. Epiſcopus Carthaginenſis, miraculis clarus, tunc primus Arianorum Pſeudo-Antiſtes, Cyrola nomine, famam & gloriam eius æmulaturus, pretio quemdam induxit, vt cæcum ſe adſimularet, cuius tamē vix oculos tetigit, quaſi eum ſanaturus, cùm eumdem re ipsâ cæcum effecit: quem eumdem, quia ſtatim fraudem aperuit, ſanctus Eugenius ſigno crucis impreſſo tetigit, & confeſtim cæco reluxit dies.

9. Vt non auferam tamen Molinæo ac Sectarijs miraculi omnem ſpeciem, fateor me in eorum Euangelio reformato vnum ingens

ingens miraculum agnoſcere, ſed ſtuporis mentiſque omnino hebetis; dum nimirum video reperiri aliquos, qui poſſint tamquam veram Religionem ſectari doctrinam tam alienam, & prorſus enormem, deſtruentemq; aras, templa, & quidquid eſt ſanctum ac ſacrum; ita vt credant miſſos fuiſſe à Deo viros omnino atheos, deſperatiſſimos & apoſtatas, vel eorum liberos; hoc eſt, viperas & genimina viperarum, à quibus Eccleſia, ipſorum etiam aliquando Mater, crudeli parricidio diſcerpitur atq; laniatur.

10. Quod ſpectat peculiariter ad Sanctorum Reliquias, Molinæus in Chriſtianiſſimo Galliæ regno, ſi vſpiam, debuiſſet à conuitio illo abſtinere; quo adoratores earumdem Reliquiarum hypochondriacos appellauit. Nam quotquot ex illuſtri proſapiâ Hugonis Capeti hactenus in Galliâ regnarunt, & quotquot ex eâdem proſapiâ deinceps perpetuò (ſi valebunt noſtra & omnium piorum vota) erunt regnaturi; hi omnes & florentiſſimum Regnum, & vniuerſam illius felicitatem acceptam referent Sanctorum Reliquiis, & earum venerationi. Videlicet mortuo Ludouico, qui fuit vltimus Rex ex Carolinâ ſtirpe, delatum eſt regnum Hugoni Pariſienſium Duci, iuxta diuinam pollicitationem Sanctorum Ricarij VVilelm. Mangius in Chron.

carij & VValerici; propterea quòd Hugo Magnus, illius parens, & Pariſienſium Comes, dum Galliam Nortmanni vaſtarent, Sanctorum eorumdem lipſana in Morinos, ad ſancti Audomari, tranſtulerat, ne quâ iniuriâ afficerentur à Barbaris. Nimirum viſi adeſſe Hugoni Comiti, nuntiarunt præmium tantæ pietatis hoc futurum, vt eius ſtirps & poſteritas Regnum Franciæ perpetuum conſequeretur. Sic planè diuinitus euenit, vt duæ maximæ & potentiſſimæ Orbis Chriſtiani familiæ regnent in Europâ potiſſimùm, ex præmio Chriſtianæ & Catholicæ pietatis, atque in his quidem punctis, quæ Sectarij rabidè oppugnant: nam Borbonia familia, vt dixi, ob cultum erga Sanctorum Reliquias, familia verò Auſtriaca ob venerationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, Regnum atque Imperium obtinent.

11. Itaque Regnum Galliæ, eâ pietate partum, eadem etiam conſeruabitur: & Chriſtianiſſimis Regibus Galliæ Molinæus eſt maximè iniurioſus, dum eos, oſſa Sanctorum venerantes, inſimulat ſuperſtitionis hypochondriacæ. Certè ipſe glorioſſimus Rex Ludouicus tertius decimus colit Sanctorum Reliquias more maiorum; donauitque ideò, inſtar magni theſauri, Ec-
cleſiæ

cleſiæ Romanæ noſtræ Societatis os ex brachio ſancti Ludouici Regis; quod enimuerò, in primario illo noſtri Ordinis domicilio, erit vtriuſque Ludouici in annos conſequentes nobile ac perpetuum monumentum.

CAPVT XVII.

Aſſeritur vſus linguæ Latinæ in ſacrificio Miſſæ.

1. CVm dixiſſet Molinæus credere ſe, haud probari à Balzaco eos qui voluunt ac reuoluunt grana benedicta, iterantque ignoto idiomate numeratas preces; aſſumit nec perinde probari ab eo, vt ſermone item ignoto diuina celebrentur; quaſi Deus, inquit, barbarus eſſet, vel Deo Papa inhibuiſſet, ne Gallicè loqueretur.

Sans doute, vous ne trouuez pas bon que le ſeruice ſe faſſe en langue non entenduë: comme ſi Dieu eſtoit deuenu barbare aux hommes, ou comme ſi le Pape auoit defendu à Dieu de parler François.

2. Eſt ingenij cultiſſimi Latinè vel ſcribere vel loqui; & cuſtos omnis tum ſapientiæ, tum elegantiæ, ſolus fermè iam ſermo Latinus cenſetur, ſoluſq; diſciplinas tradit, humanaque ac diuina oracula diſpenſat. Cur ergo Molinæus ait, fieri Deum hoc tempore Barbarum, dum Latinè cum eo Catholici agunt? aut cur Pontificem eo

nomine in inuidiam vocat, quòd velit Latinè peragi myſteria ſacra? Queri debuiſſet ſolùm, ſi idioma propriæ ditionis, hoc eſt Italicum, ab eo præſcriberetur. At Latinus ſermo eſt communis omnium nationum Europæ; & ideò vſui fuit ſemper in Eccleſiâ Occidentis, dum Diuina fiunt, ſicuti ſermo Græcus in Eccleſiâ Orientis. Confert verò ad commoditatem, quia hoc pacto Miſſæ ſacrificium poteſt vbique in Europâ eodem idiomate atque eodem ritu celebrari, hoc eſt à Germano cùm in Italiâ eſt, ab Italo cùm eſt in Galliâ, à Gallo cùm eſt in Hiſpaniâ, ab Hiſpano cùm eſt in Germaniâ.

3. Adhæc Latina lingua meritò adhibetur in miniſterio Sacrificij incruenti, quia eiuſdem Sacrificij cruenti inſcriptio nobilior & potior Latina erat; proxima videlicet capiti ſacroſancto Chriſti morientis, præ Græcâ, & Hebraicâ. Atque ita iudicarunt ſancti Patres: ſuadetque inſuper ea ratio, quòd exiſtimandus non fuerit Pilatus Romanus Præſes in Crucis titulo, linguam Dominam & Reginam ancillantibus Græcæ & Hebraicæ poſtputare ac ſubijcere voluiſſe. Idcircò Synodus Tridentina, ijs qui affirmarent idiomate vulgi debere Miſſam celebrari, meritò anathema dixit. Aduerte-

Seſſ.26. cap.9.

re

re autem oportet, ne Græcos quidem linguâ vti vernaculâ, ſed antiquâ & eruditâ, cuius peritiam non habet vulgus Græcorum, ſicut nec linguæ Latinæ peritiam habet vulgus Italorum.

4. Eſto, Caluinus exiſtimauit, his Eccleſiæ myſterijs populum inſtrui, & ad pietatem excitari; & ideò eſſe, cur potiùs ſermone vernaculo peragi ea oporteat. At Synodus Tridentina, cùm fateatur in eis contineri magnam inſtructionem populi, cenſuit nihilominùs ab idiomate vulgi abſtinendum eſſe. Quid enim? verba intelligeret populus, ſenſum rarò aſſequeretur, præſertim in his quæ recitantur ſubinde, aut ex Pſalmis, aut ex Prophetis, aut ex Apocalypſi. Magna ſæpenumerò ingenia hebeſcunt, & diu gemunt, antequam oracula ea diuina percipiant, vt meritò proinde Apoſtolica Sedes vetuerit, ne pariter Biblia ſacra edantur ſermone vulgi; & ſatis conſtat, hac potiſſimùm arte ſuos plebi errores initio Lutherum in Saxoniâ propinaſſe.

Lib. 3. Inſtit. c. 20. §. 33.

Seſſ. 22. c. 8.

Gaſpar Vlenberg. in Vitâ Lutheri ad an. 1522.

5. Neque obeſt, quòd ſanctus Paulus dixerit: *Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonē dederitis; quomodo ſcietur id quod dicitur? eritis enim in aëra lo-*

1. Cor. 14.

quentes. id, inquam, non obeſt; quia ibi ſanctus Paulus loquitur de piis adhortationibus; eaſque præcipit fieri ad ædificationem, non ad linguarum oſtentationem. Alioquin cùm hæc ſubdat; *Ceterùm ſi benedixeritis ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem; quoniam quid dicas neſcit*; videtur proculdubio inſinuare, etiam tunc res diuinas conſueuiſſe peragi eiuſmodi ſermone, quem non intelligebant idiotæ, & idcircò adhibito dumtaxat interprete reſpondebant Amen.

6. Sed quid? Molinæus, qui hæc reprehendit, laudauit tamen Senatum fœderatarum Prouinciarum à prudentiâ vel ideò, quia vetuerat ne idiomate vulgi prodirent Acta Conciliabuli Dordraceni. Hoc ipſe quidem exaltat, & deprædicat præ omnibus aliis Eccleſiæ Conciliis, & præ ipsâ putem Synodo primâ Ieroſolymitanâ; ſed nos Miſſæ ſacrificium, & myſteria diuina non exiſtimamus eſſe quid inferius Actis vnius profanæ Synodi, quæ erat congregata in nomine ſatanæ, & in quâ, quotquot aſſederant, erant veri Patres, reperturi etiam veras domi matres, cùm ad lares proprios remeaſſent. Ceterùm etſi proſtitui vulgo ſacra noſtra non patimur; integrum eſt ſaltem

In Præfat. ad Anatom. Armen.

tem cuique, eo quo voluerit idiomate, minores preces dicere, & Deo ſacrificium laudis immolare.

CAPVT XVIII.

Agitur breuiter de vſu Indulgentiarum, & de Purgatorio.

1. Videri potuiſſe Molinæus à Balzaco ait Romæ altaria complura, cum affixis Indulgentiis ad centurias & myriades annorum; cum neſcio quot etiam quadragenis, & cum facultate liberandi animas ab igne expiatorio.

Vous auez peu voir à Rome pluſieurs autels, où le Pape a attaché des pardons de cent & deux cens mille ans, auec autant de quarantaines, & la faculté de tirer vne ame de Purgatoire.

Quidquid muſſitet tamen, Pontifici Romano eſt & ſemper fuit quædam cum Cælo ſocietas, & communis iuriſdictio, quâ erga viatores vtitur per modum abſolutionis atque ſententiæ; per modum verò ſuffragij, petitionis & impetrationis erga eos qui è viuis deceſſerunt, Déo quidem grati, ſed pœnarum adhuc rei, quas, dum erant ſuperſtites, exſoluere vniuerſas non potuerunt.

2. Cur verò hæc Molinæo non placeant, verbo dicam: Purgatorium eſſe nullum credit; & ego ſanè, ne perpetuò diſſentiam,

affirmo pariter non eſſe, ſed pro ipſo, & pro Sectariis, quia infernus domus eorum eſt, ac paradiſi refrigerium Gehenna. Nos interim ſanctorum Patrum, Conciliorum & Scripturæ ſacræ magiſterio inſtructi, credimus fide conſtantiſſimâ, omnino eſſe ignes animarum expiatorios.

1. Mach. 12. 3. Fortiſſimus ille Iudas Machabæus, *factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium; benè & religiosè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Quid poteſt dici manifeſtius, dum Hiſtoricus ſacer ait, magnam gratiam, hoc eſt beneficium, mortuos accepturos, ſi à peccatis ſoluantur, quantum attinet ad reſiduæ pœnæ obligationem?

Matth. 5. 4. Chriſtus Dominus in Euangelio, *Eſto*, inquit, *conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in viâ cum eo; ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quid

Quid clariùs? En ſuadet, vt dum viatores ſumus, ſatisfaciamus pro offenſis aduerſus proximum admiſſis: nam alioqui de viâ, hoc eſt de vitâ egreſſi, vocabimur in Ius, trademurq́ue à iudice tortori, & ab hoc in carcere torquebimur, donec fiat debiti vniuerſi repræſentatio: carcer verò eſt locus, quod Purgatorium appellamus.

5. Idem Chriſtus Dominus, *Quicumque dixerit verbum*, inquit, *contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* En Chriſtus inſinuat, remiſſionem alicuius peccati, quod videlicet ſit contra proximum, aut contra Filium hominis, fieri in ſæculo futuro; & vel fateri oportet, Purgatorium dari, vel Chriſtum otiosè dixiſſe, non remitti in futuro ſæculo ea quæ dicuntur contra Spiritum ſanctum, ſi nulla fiat ibi remiſſio. Aſſumptio hæc tam videtur euidens, vt Caluinus auſus non ſit eam negare; ſed affirmauerit potiùs, Chriſtum alia tunc cogitaſſe, & minùs attentè locutum eſſe. Itaque hic blaſphemus Hæreſiarcha conſtituit inter peccatores & iudicandos, Chriſtum, Redemptorem omnium & Iudicem; ſiquidem ipſe pronuntiauit illud: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti*

Matth. 12.

Ibidem.

fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

6. Adhæc, ſi decedat quis vnius tantùm verbi otioſi reus, cuius nec pœnituerit ante obitum, nec præceſſerit ſacerdotalis abſolutio; cùm Chriſtus Dominus dixerit reddendam de eo rationem in die iudicij, peto quæ ratio erit reddenda? non vtique damnationis æternæ, cùm ea ſit minima culparum venialium; ergo intelligitur ratio punitionis alicuius temporariæ, & hoc fiet videlicet medio loco inter Cælum & Gehennam, quod Purgatorium vocamus.

CAPVT XIX.

Quàm impudenter Molinæus loquatur de vſu piarum Peregrinationum.

Vous y auez veu la fureur des peuples, venans de deux & trois cens lieuës au Iubilé, pour gaigner la remiſſion de leurs peches, laquelle Dieu nous preſente chez nous par la doctrine de l'Euangile.

1. CVm Balzaco agens Molinæus, Videris Romæ, inquit, furorem populorum, qui à leucis ducentis aut trecentis veniunt ad Iubileum, ſtudio conſequendæ remiſſionis peccatorum; quam nobis tamen Deus offert per ſolam doctrinam Euangelij.

Mira eſt ſanè hæc Molinæi locutio. Dauid Rex, *Populum tuum*, inquit, *qui hîc repertus*

1.Par.29.

tus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. at Molinæus, ſi Romæ fuiſſet in Iubileo, dicere maluiſſet, Populum tuum, qui hîc repertus eſt, vidi cum ingenti rabie: atque ideò furorem vocat conſilium pium veniendi ex longinquis oris, ad theſauros Eccleſiæ conſequendos.

2. Attamen fruſtrà iſtiuſmodi peregrinationes carpit, quarum itinera trita ſunt frequentatione omnium ſæculorum, nec ſemitas eas ſalutis abrumpere vmquam poterit dicterijs ſuis. Sanatus eſt Naaman Syrus à leprâ, quoniam ad Eliſeum & ad Iordanem peregrinatus eſt. Promittitur etiam Numen propitium tum Iſraëlitis tum alienigenis, ſi quoties ingrueret neceſſitas, ad templum Ieroſolymitanum adoraturi proficiſcerentur. Vt tantò ſit damnabilior Molinæus, qui pias peregrinationes, nec eas quidem alienigenarum, ſed ipſorummet Chriſtianorum, eſſe furorem quemdam exiſtimauit.

4.Reg. 5.

3.Reg. 8.

3. Quid ſi eâ ætate vixiſſet, cùm Bonifacius Octauus, ſtudio diuinæ iræ aut auertendæ, aut mitigandæ, ſæcularem annum primò inſtituit, veniamque omnium delictorum obtulit adeuntibus ritè ſacras Baſilicas ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli? quo nimirum tempore fama illius

nouæ largitionis, peruagata præcipuas Orbis Chriſtiani prouincias, eam frequentiam totius Occidentis exciuit è ſedibus ſuis, vt ſanctus Antoninus ſcribat, vix diem abiuiſſe, in quo Romana Vrbs, tunc maximè hoſpitalis & benigna, peregrinos ad ducenta millia non exciperet. quantus ille furor populorum Molinæo viſus fuiſſet? attamen profuiſſet id ei fortaſſe ad frugem animæ: nam ea charitatis, & liberalitatis, & pietatis exempla videntur, in Cardinalibus quoque, & ipſo Pontifice Maximo, qui accumbentibus peregrinis miniſtrare in menſâ, pedes proluere, aures præbere confitentibus ſolent; vt è Sectarijs multi, hæreſi abiuratâ, Religionem Catholicam, inuitati & incitati ſpectaculo tam egregio, fuerint tum ſæpenumerò complexi: cuius rei teſtes plures afferre poſſem; ſed duo ſufficient, celebres in Galliâ Scriptores, Spondanus nimirum, & Petrus Matthæi, quos adire, ſi lubet, Molinæus poterit.

Spond. in Auctar. ad an. 1600. Petrus Matth. l. 3. Hiſt. Henrici IV.

Sed quid illud eſt, quod Molinæus ait, dum penes ſe affirmat eſſe remiſſionem peccatorum per doctrinam Euangelij? an ipſe Sectariorum confeſſiones audit? atqui auricularem confeſſionem ipſe cum Sectarijs deteſtatur, tametſi ſanctus Iacobus hæc habeat: *Confitemini alterutrum pecca-*

In Epiſt. Cathol. c. 5

ta

ta veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. & tametſi ſanctus Matthæus, vel ante ſancti Ioannis Baptiſmum inſinuet neceſſariam fuiſſe peccatorum Confeſſionem, cùm dicat: ***Baptizabantur ab eo in Iordane,*** Matth. 3. *confitentes peccata ſua.* At erit fortaſſe ſenſus, penes Sectarios omnes eam remiſſionem peccatorum reperiri; atque Euangelio credere, hoc demum eſſe à peccatis liberari. Sanctus Auguſtinus tamen, conſiderans Saulum, etſi diuinâ voce appellatum, ad Ananiam miſſum eſſe, Cornelium verò Centurionem ad ſanctum Petrum, etſi Angelus fuerat eum allocutus; his exemplis oſtendit, ſpiritus interni iudicio neminem tutò ac ſapienter poſſe committi; atque inſuper docet, falli eos miſerè, qui putant, ſolâ Euangelij doctrinâ & propriâ dumtaxat interpretatione ſe poſſe ad certum & infallibile magiſterium animæ peruenire. Multò minus ſola Euangelij doctrina ſufficit ad remiſſionem peccatorum: alioquin fruſtrà Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis dixiſſet, ***Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,*** ſi Confeſſio & abſolutio ſeu actualis remiſſio minimè requireretur.

In Prologo de Doctr. Chriſt.

Matth. 18. Ioan. 20.

CAPVT XX.

An dignum ſit reprehenſione, pro remiſſione peccatorum aliquid offerre.

N'ignores pas de quels fonds le Pape tire ceſte liberalité. C'eſt qu'il ramaſſe le ſuperabondant des ieuſnes, battures, pelerinages des Saincts & des Moines, & les conuertit en payement pour les pechés d'autruy.

1. NOn tu ignoras, inquit Molinæus cum Balzaco agens, ex quonam fundo Papa eruat ac promat liberalitatem iſtam: colligit videlicet quæ ſuperabundant ad ieiunia, flagellationes & peregrinationes Sanctorum & Monachorum, & conuertit ea in pretium pro peccatis aliorum.

Molinæi ſtomachum plus nimio indigeſtum & marcidum reddit hic vnicus cibus; nempe opes Eccleſiæ, & piorum largitiones: ideò materiam eamdem frequentiùs vomit. Ego ne fruſtrà iterem ac repetam quæ aliàs dixi; tantùm admoneo, vt adeat Cæſarem Cardinalem Baronium: qui cùm narraſſet, Cardinalem Petrum Damiani referre conſuetudinem veterem, quâ Sacerdotes à Pœnitentibus accipere terras & prædia ſolebant, & iuxta oblationis menſuram, pœnas eis relaxare; ſapienter notat, poſt crebra Eccleſiarum naufragia, & collapſam aliquoties Eccleſiaſticam diſci-

Ad ann. Chriſti 1055.

diſciplinam, tandem priſcam antiquorum Canonum cenſuram, quæ diu exula uerat, reuocatam veluti poſtliminio fuiſſe.

2. Cùm verò ſæpè contingeret, peccata hominum grauia & letalia iterari frequentiùs; & pro eorum expiatione imponi pœnitentiam annorum plurium; adeò vt ſub pondere illius nonnulli ſæpenumerò deſperarent, nec tota ætas par videretur ad eam explendam: idcircò ait cœptam aperiri ianuam redemptionis eiuſdem pœnitentiæ, impoſitæ videlicet in longiſſimum diem. Ne vtique aliquis morte præuentus, & adhuc exiſtens debitor Eccleſiæ, tràderetur in aliâ vitâ carceri ac lictori Iudicis æterni, donec ſolueret vltimum quadrantem. Quapropter illi quibus ſuppeterent opes erogandæ in ſubſidia inopum, tot annos pœnitentiæ redimebant, iuxta pretium Sacerdoti oblatum; quot annos pro peccatis ſingulis vetus lex Eccleſiæ præſcribere olim ſolebat.

3. Acceptatæ ſunt præterea voluntariæ corporum afflictationes, quibus tam egeni homines quàm alij etiam copioſi (ſi has vtique mallent) ſpatio breui redimerent pœnitentiam annorum plurium. Tunc itaque introductæ fuerunt pœnæ ſponte obitæ; hoc eſt, abſtinentiæ, flagellationes, ci-

licinæ

licinæ veſtes, & corporis aliæ aſperitates; quæ ſolæ iam in vſu retinentur. Cùm verò in vſu ampliùs non ſit illa peccatorum redemptio, per oblationem vel pecuniæ, vel prædiorum, iniquiſſimè Molinæus Romanum Pontificem ex hoc capite iam auaritiæ inſimulat ac traducit.

CAPVT XXI.

An Molinæus prouocet ſapienter ad Miſſalis rubricas circa vſum Euchariſtiæ in Miſſæ ſacrificio.

Si vous vouliés auoir la curioſité de prendre le Miſſel, & y lire les cautelles & rubriques qui pouruoyent aux inconueniens, au cas que le vent emporte Dieu, ou que les rats ayent mangé Ieſus Chriſt, ou que le Preſtre le reuomiſſe, vous nous excuſeriés & diriés: Certainement ce n'eſt pas de merueille, ſi ces poures gens trouuent ces choſes de dure digeſtion, & mal conuenables à la dignité du Fils de Dieu.

1. BAlzaco Molinæus ſpondet fore, vt ſi paulò eſſe curioſior voluerit, ac legere in Miſſali monita ſeu rubricas, quibus inſtruitur Sacerdos, vt ſciat, quid facto opus, quando, quod ait ipſe, aut ventus Deũ auferat, aut edant mures Ieſum Chriſtum, aut eum inſuper Presbyteri euomant; Sectarios profectò excuſet, ac fateatur, mirum non videri, ſi Catholici incurrãt ab hac parte in res nimis durę digeſtionis, & quæ dignitati Filij Dei nullâ ratione congruere videntur.

2. Tam

2. Tam acutè ratiocinatur Molinæus, quàm ſi manè, poſt noctis ſordidæ imbres in terram effuſos, vellet ſuadere, vt ſol non oriretur, ne radios ſuos in cœno inquinaret. Miror, Theologum ſcilicet magnum inter Hugenottas ea ignorare, quæ tyrones ipſi in Theologiâ noſtrâ vtique non ignorant; nempe verum Chriſti corpus, vti exiſtit in Euchariſtiâ, à nullâ naturali causâ quidquam pati poſſe. Sit ignis in propinquo, vel ſit etiam gelu: ſpecies quidem, ſeu panis, ſeu vini, fient illicò calidæ, vel frigidæ, at non ideò caleſcere incipiet vel algere corpus Chriſti, tum quia glorioſum eſt atque impaſſibile, tum quia exiſtit in hoc Sacramento abſque extenſione partium in ordine ad locum.

3. Quòd autem rubricæ præſcribant ea quæ à Molinæo recenſentur, partim hoc fit, ne ſpecies panis & vini accipiantur indigniùs, quandoquidem venerationem promerentur, cùm inuoluant Corpus & Sanguinem Domini, & ne idem Dominus aliter quàm decentiſſimè in eis habeatur (quamquam, vt dixi, tunc non magis Filius Dei, quàm ſolis radij à cœno, inquinaretur) partim verò fit, vt ſacrificium Miſſæ conſummetur.

4. Profectò ſi vel Rubricas ſaltem intellige-

ligeret Molinæus, aduertere potuiſſet, illa monita vel conſilia eò ſpectare, vt non ignoret Sacerdos, nouam hoſtiam ſubſtituendam, & abſoluendum Sacrificium, ſi contingat vt eam ventus vel miraculum auferat, ſi eam tangat venenatum animal, vel ſi ſtomachus ægri Sacerdotis eam reijciat.

CAPVT XXII.

Satisfit breuiter Molinæi deſiderio, tam circa præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtiâ, quàm circa Primatum Petri in Pontifice Romano.

Sur deux poincts principalement nous inſiſtions: A ſçauoir ſur la ſucceſſion du Pape en l'Apoſtolat & Primauté de S. Pierre, & ſur la charge que les Preſtres s'attribuent, d'eſtre ſacrificateurs du Corps de Chriſt, & n'auons iamais peu obtenir, qu'on nous monſtraſt l'inſtitution de ces deux choſes par la parole de Dieu.

I. SVnt duo præcipua, inquit Molinæus, quæ nos vrgemus, Succeſſio Papæ in Apoſtolatum & Primatum S. Petri, & Poteſtas ſacrificãdi Corpus Chriſti, quam Preſbyteri ſibi vindicant. At impetrare numquam potuimus, vt eius vtriuſq; rei inſtitutio demõſtretur nobis ex verbo Dei.

Etiam dum aliquando Clemens VIII. Pontifex Romæ, in Supplicatione anniuerſariâ Corporis Domini, intra hierothecam cir-

circumferret auguſtiſſimam Euchariſtiam, incedens nudis pedibus, ac perfuſus lacrymis, adfuit qui diceret: En duo illa præcipua, in quibus quaſi cardinibus tota vertitur moles Religionis Chriſtianæ; nempe Chriſtus in Euchariſtiâ, & Pontifex Chriſti Vicarius, ac ſucceſſor Petri.

2. Malam farinam haud ſanè moleret Molinæi molendinum, ſi hæc terere ſeriò inciperet, donec ad ipſas veritatis delicias perueniret; ſed illud non videtur ferendum, quòd affirmet tam audacter, à partium noſtrarum Scriptoribus non potuiſſe hactenus demonſtrari ex verbo Dei huius vtriuſque rei inſtitutionem; cùm præ aliis, Cardinalis Perronius, & Cardinalis Bellarminus, tanta nomina, ediderint grandia Volumina, alter dè Euchariſtiâ, & alter de Romano Pontifice. Si Molinæus tamen ſtare in gradu velit, & circa hęc duo pugnare; ego non congredi modò deliberatum habeo, ſed etiam virum prouoco; nec ſcribam atramento tantùm, ſcribam, ſi oportuerit, ipſo ſanguine.

3. Vt de vtroque iam aliqua ſeorſim libem: Quod ait Molinæus, Preſbyteros Catholicos vindicare ſibi poteſtatem ſacrificandi Corpus Chriſti; hoc ei mirum videri non debet, quia Chriſtus eis hanc po-

teſtatem tribuit; & ipſi aſſumunt ſibi honorem, quia ſunt vocati à Deo, tamquam Aaron. Videlicet ab eis offertur panis, & offertur vinum ante conſecrationem: in conſecratione vtrumque dein mutatur deſtruitúrque, quemadmodum exigit ratio Sacrificij. Nam quod erat panis, deſtruitur, & fit Corpus; quod erat vinum, deſtruitur, & fit Sanguis Chriſti: ſolæque manent ſpecies viduæ omni ſubſtantiâ materiatâ. Ita ſemper Catholica Eccleſia tam Occidentis quàm Orientis credidit; nec ante vndecimum ſæculum id vmquam fuit reuocatum in dubium, hoc eſt, ante Berengarium: qui, vt alibi etiam inſinuaui, retractauit errorem ante obitum ſuum.

Exod. 28. Hebr. 5. VVilhelm. Malmesburienſis.

4. Olim autem, inter alias tam diuerſas hæreſes, manſiſſe nihilominùs fidem eamdem de Euchariſtiâ, non miror; quia nimis euidens eſt ſermo diuinus. Chriſtus Dominus apud ſanctum Matthæum, *Accipite*, inquit, *& comedite: hoc eſt corpus meum.* Apud ſanctum Marcum, *Sumite*, inquit, *hoc eſt corpus meum.* Apud ſanctum Lucam: *Dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum.* Apud ſanctum Ioannem: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Præterea S. Paulus, *Quicumque*, inquit, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè,* *reus*

Cap. 26. Cap. 14. Cap. 22. Cap. 6. 1. Cor. 11.

reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Et paulò pòſt: *Iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

5. Lutherus quidem faſſus eſt, diu ſe ac multùm cogitaſſe, quanam poſſet ratione veram Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ negare; ſed non potuiſſe tamen, Euangelij euidentiâ coactum: & ideò eam admiſit, ſed ſimul cum ſubſtantiâ panis. At Zuinglius & Caluinus maiori audaciâ pronunciarunt, propter ſolam ſimilitudinem & figuram, panem dici Corpus, & vinum dici Sanguinem Chriſti, ſicut Chriſtus etiam vitis dicitur, ouis, agnus, leo, petra, & lapis angularis.

6. Inter hæc nihilominùs diſcrimen faciunt verba illa: *Ego ſum panis vitæ. Hic eſt panis de cælo deſcendens. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Ioan. 6. etenim hæc ad verum Chriſti corpus, non ad vllam eius ſimilitudinem vel figuram referuntur. Sed vtinam ij loquerentur, qui Chriſtum Dominum differentem de hoc myſterio audiuere: nimirum *litigabant Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ibidem. nec tamen legimus, eos vmquam litigaſſe, quomodo Chriſtus diceretur aut vitis, aut ouis, aut

leo, aut petra, aut lapis angularis. Ex quo apparet, fuiſſe ſermonem de vero Chriſti Corpore, & de vero Chriſti Sanguine, futuro aliquando in Euchariſtiâ per proprietatem, non autem per ſimilitudinem, aut per figuram.

7. Si dicat Molinæus, perperàm eos rem intellexiſſe; erit neceſſarium pariter vt dicat, Chriſtum, qui erat veritatis Magiſter, ipſos confirmaſſe in errore, quandoquidem

Ioan. 6. adiecit tam ſeriò: *Amen, amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea, verè eſt cibus; & Sanguis meus, verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Item paulò pòſt: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum.*

8. Audeo dicere, ne myſterium quidem Incarnationis tam diſtinctè, tam explicatè, & tantâ repetitione verborum in Euangelio proponi. Atque id cauſæ fuit, cur nullus eorum, qui Synagogæ tunc intererant, ali-

aliter id acceperit, quàm vt intelligeretur de verâ Chriſti carne & de vero eius Sanguine. Proinde *multi audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*

9. Porrò ne dicat Caluiniſtarum aliquis, Chriſtum fuiſſe locutum de manducatione ſpirituali, quæ fiat per ſimilitudinem Corporis & Sanguinis eius; néve pro eâ interpretatione adferat verba illa: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat priùs? Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quidquam: Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Ne, inquam, hæc dicat: nam ſignificauit Chriſtus carnem ſuam cibum animæ, & Sanguinem ſuum potum eſſe ſpiritus; non autem eſſe cibum & potum, ex quo ſaginatur corpus. Nec variauit priorem ſententiam; quia nihilominùs *ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò; & iam non cum illo ambulabant.* Non abiuiſſent verò, neque Chriſtus paſſus fuiſſet eos abire, ſi de manducatione ſpirituali corporis, ac de pótione ſpirituali Sanguinis, ſermo ille accipi debuiſſet. Ioan. 6.

10. Accedit Eccleſiæ & ſanctorum Patrum auctoritas. In Galliâ celebritas anniuerſaria huius Sacramenti *Feſtum Dei*, & in

Italiâ *Corpus Domini* appellatur. Sed & olim Sacerdos, Euchariſtiam diſtribuens, vtebatur eâ formulâ, vt diceret; *Corpus Chriſti*, & qui eam ſumebant, vt profiterentur ita eſſe, reſpondebant, *Amen*.

Baron. ad an. Chriſti 57.

11. Quòd autem dumtaxat in vnâ ſpecie cœptum deinde ſit adminiſtrari, inde ortum eſt, quia metu effuſionis aliqui conſueuerant panem conſecratum, vino conſecrato perfuſum, tradere Chriſtianis in Synaxi. Aduerſus quem prauum vſum exſtat Epiſtola Paſchalis Papæ ad Pontium Abbatem Cluniacenſem, de non porrigendâ Communione intinctâ, ſed ſeorſim in ſpecie panis, ac ſeorſim in ſpecie vini; cumque haud propterea vſus ille ceſſaret, conſultius viſum eſt, Euchariſtiam in vnâ tantùm ſpecie diſtribuere.

12. Patrum auctoritates miro conſenſu huic veræ interpretationi ſuffragantur. Sanctus Hilarius, *Si verè*, inquit, *Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus*. S. Epiphanius, *Qui non credit*, inquit, *eſſe ipſum verum ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute*. S. Cyrillus Ieroſolymitanus, *Hic qui videtur*, inquit, *à nobis, non eſt panis, ſed Corpus Chriſti; & vinum, non vinum, ſed Sanguis eſt Chriſti*. S. Ioannes Chryſoſtomus, *O miraculum*, inquit, *ô Dei be-*

S. Hilar 8. de Trinit.

S. Epiph. in Anchor.

S. Cyrill. Catech. 4.

S Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio.

benignitatem! qui ſurſum ſedet cum Patre, temporis momento omnium manibus pertractatur. S. Ambroſius, *Carnem Chriſti*, inquit, *in myſteriis adoramus, quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorarunt.* Denique vt omittam plures; S. Ioannes Damaſcenus, aptè ad confundendos Sectarios, *Nec verò*, inquit, *panis & vinum Corporis Chriſti figura ſunt, abſit enim hoc: verùm ipſummet Domini noſtri Corpus.* S.Ambr. l.5.de Spiritu ſancto c.12. S.Ioannes Damaſc. l.4.de Fidec.14.

13. Accedunt inſuper miracula, quibus nulla fermè prouincia & nulla regio caret: ſed ab his referendis abſtineo, quia illa Miniſtri non credunt; neque conſultum eſt, iuxta Euangelij conſilium, ante eos proijcere margaritas. Matth.7.

14. Vt de Primatu Petri in Pontifice Romano perinde dicam, dum Petro Chriſtus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Enimuerò cùm formaret Eccleſiam, in Petro ſucceſſores quoque illius eſt allocutus. Ita quiſquis nouam inſtituit Monarchiam, aut Rempublicam; ſi vni dixerit, Tu Princeps aut Rex eris; & alijs, Eritis Matth.16.

vos Optimates, eritis vos item Iudices; cenſetur haud dubiè inſtituere perinde ſucceſſores illorum, aut Reges, aut Optimates aut Iudices: ſiquidem cogitat erigere Principatum æternum. Quemadmodum etiam Chriſtus, quando Apoſtolis dixit, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*; patrocinium ſuum æternum, tum ipſis, tum ipſorum ſucceſſoribus promiſit.

Matth. vlt.

15. Ideò Linus ſucceſſit Petro, & deinceps vſque ad Vrbanum VIII. continuata eſt ſucceſſio Romanorum Pontificum; eorumque agnouere Primatum Principes, Reges, Imperatores, cunctique Epiſcopi Occidentalis Eccleſiæ: imò ex ipsâ Eccleſiâ Orientali, quæ multis anteà ſæculis in vno ouili perſeuerauerat, poſt introductum etiam ſchiſma, Primatum Petri agnouerunt Græcus Imperator & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum numero magno Antiſtitum, qui adfuerunt Florentiæ in Synodo Oecumenicâ, cui præerat Eugenius IV. Tametſi poſteà ſeceſſionem ab Eccleſiâ Latinâ redintegrarunt, Deum propterea iratum experti; quia Mahometes Rex Turcarum non ita multò pòſt Conſtantinopolim vi occupauit, cum Imperatoris Conſtantini Palæologi, ac nobilium & populi ingenti

Platin. Naucle. Volater. Genebr. Spondan.

ingenti ſtrage: & tunc Imperium à Conſtantino Magno fundatum, qui obſequentiſſimus fuerat erga Romanum Pontificem, cum altero Conſtantino experte illius obſequij, non ſine punitione manifeſtâ Numinis defecit.

16. Poſſem hunc diui Petri Primatum in Pontifice Romano mirâ ſuffragatione ſanctorum Patrum aſſerere: ſed vt breuior ſim, vno ſancti Auguſtini teſtimonio rem expediam. *Dubitabimus*, inquit, *nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolicâ Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* Hoc vnicum tanti viri, & tantopere vel ab ipſo etiam Caluino laudati oraculum, apud æquos æſtimatores, quamuis aduerſarios, poteſt abundè eſſe, vt fiat certa perſuaſio, Primatum Petri in ſucceſſoribus eius Romanis Pontificibus, citra controuerſiam omnem, diuinitus continuari; & Sectariorum aut Miniſtrorum potiùs deliria eſſe, quæcumque iſti effutiunt, vt hanc eorum ſucceſſionem ſubruant vel euertant. Fruſtrà enim clamant, duo capita in vno Eccleſiæ corpore eſſe non de-

Lib. de Vtilit credendi c. 17.

debere: quia Petrus & quilibet Romanus Pontifex non cenſetur caput diuerſum ab Eccleſiæ capite, qui Chriſtus eſt; ſicut nec cenſetur diuerſum ab eo fundamentum eiuſdem Eccleſiæ. Petrus & quilibet ſucceſſor eius eſt caput Eccleſiæ directiuum, & caput eius viſibile, Vicariamq́ue gerit poteſtatem Chriſti; qui eſt caput Eccleſiæ principale, abſolutum, & iam inuiſibile. Neque res noua eſt, Vicarium quemque conſtituere vnum atque idem tribunal cum eo cuius vices gerit; ex quo neque licet ad hunc ab illo, in cauſis atque ſententiis, prouocare. Sapienter ideò S. Leo hæc verba Christo Domino tribuit: *Cùm ego ſim inuiolabilis Petra, tamen tu quoque Petra es, quia meâ virtute ſolidaris: vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.*

Serm. 13. in Anniuerſ. ſuæ aſſumpt.

17. Sed quàm eſt illuſtris poſſeſſio illa obſeruantiæ, quam Cæſares, Reges, Principes maximi, eorumq́ue regiones ac prouinciæ totius Eccleſiæ Occidentalis profitentur; quando ad nouos quoſque Romanos Pontifices, vel cùm ipſi noui fiunt Reges ac Principes, mittunt honorificentiſſimas legationes, veneraturi in illis Chriſti Domini Vicariam poteſtatem, & Primatum Petri?

18. Ge-

18. Gemuerit facilè Molinæus,dum intellexit nuperrimè,à Ludouico XIII. Chriſtianiſſimo Rege, miſſam iſtiuſmodi legationem ad Vrbanum VIII. & eam obiiſſe Carolum Crequium, Leſdiguerіarum Ducem, Franciæ Parem, ac Magiſtrum Militiæ Gallicæ, Virum de quo Dionyſius Saluagnius Boëſſius, Orator Regius, agens in Vaticanâ Regiâ, coram Pontifice & eius auguſto Senatu, hæc inter alia commemorauit: *Qui porrò ex omnibus in prouinciâ ditionis ſuæ pagis, peſtilentiſſimæ doctrinæ præcones, & ſceleſtos Erebi miniſtros excedere iuſſerit, omninoq; prauæ Religionis, ibi iam ab eius Auctore, numquam ſine diris nominando, graſſantis & virus ſuum ſpargentis, promulgationem, vſum, & exercitationem ſuſtulerit.*

19. Vt autem Molinæus non neſciat, quiſnam huius legationis fuerit ſcopus, vtar conceptis verbis eiuſdem Oratoris Regij Dionyſij Saluagnij, quæ pro Crequio Legato tum pronuntiauit: *Per eum itaque*, inquit, *ſanctiſſime Pater, Ludouicus Rex Francorum & Nauarræ Chriſtianiſſimus, Tibi ſummum illum in terris honorem gratulatur: vnde tantâ ſe lætitiâ perfuſum fuiſſe palàm teſtatus eſt, quantâ nato ſe quondam te perfuſum fuiſſe teſtatus es. Proinde pedibus tuis*

Apo-

Apoſtolicis prouolutus, eorum oſculo cultum & obedientiam ex animi ſententiâ tibi præſtat & exhibet. Te vnicum Ieſu Chriſti Vicarium, te certum Petri ſucceſſorem, regniq; cœlorum & humanæ ſalutis Arbitrum agnoſcit ac profitetur: vireſq; ſuas ac copias, ad ſanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ defenſionem promptas & paratas ſemper fore, tibi pollicetur.

20. En Romanus Pontifex à tanto Rege Vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri appellatur, more maiorum; perrexit deinde Orator in hæc verba: *Tu viciſſim Vrbane Pontifex Optime, Maxime; Vrbane, inquam, cœleſtis theſauri cuſtos, & æternitatis diſpenſator, ſoluſq; tui Dominus & Vindex, Ludouicum Regem Chriſtianiſſimum, Ludouicum Iuſtum, Ludouicum Hæreſeos & omnium Franciæ monſtrorum Domitorem, Ludouicum denique filium tuum, eumq; totius orbis Chriſtiani natu maximum, paternâ beneuolentiâ complectere.*

21. Non poſſum glorioſiùs abſoluere; tantùm addo, à Sereniſſimo & potentiſſimo Rege Poloniæ Vladiſlao, adhuc recentiùs, hoc eſt extremo ſuperioris anni autumno, miſſam æquè glorioſam Legationem, ad Primatum Petri perinde agnoſcendum ac venerandum in Vrbano VIII. Pontifice Romano. Quæ vtraque duorum

Ma-

Maximorum Regum profeſſio ſola ſuffi-
ceret, vt confundantur Sectarij. Qui ſoli temerè contradicunt poſſeſſioni propemodum æternæ Romanorum Pontificum, quod ſpectat ad Petri Primatum & Apoſtolatum.

22. Vt nihil dicam de Epiſcopis Eccleſiæ Occidentalis, qui omnes aut conſtitui, aut certè inſtitui & confirmari auctoritate Apoſtolicæ Sedis debent, & abſquè contradictione vllâ quidem id expetere ſolent. Quæ res cerebri debilitati, & in prauum elapſi arguit omnes, non Verbi dixerim, ſed vt locutus paulò antè eſt Orator Regius, *Erebi miniſtros*.

23. Viri prudentes non ita deſipiunt; propterea Oxonij celebri Academiâ in Regno magnæ Britanniæ, ſuperiori anno inter alias theſes propoſita hæc enuntiatio fuit: Papa non eſt Monarcha Eccleſiæ, ſed eſt tamen Paſtor Paſtorum, & Supremus Epiſcoporum; in quâ vtique tantum ineſt luminis, vt poſſit creſcere aliquando vſque ad perfectum diem.

CA-

CAPVT XXIII.

Expenduntur aliquæ ſententiæ Molinæi circa Regimen Politicum.

L'obeiſſance aux Souuerains eſt vne choſe iuſte & neceſſaire. Trouuer en ſa Religion, ou en celle de ſon Roy, occaſion de rebellion, c'eſt à faire à des broüillions, qui defendent la religion par des voyes condamnees par ceſte meſme religiō. Iamais la cauſe de Dieu ne s'auança par là.

1. MOlinæus calumnias egerendo, fatigatus veriùs quàm ſatiatus, & mox ad eas reuerſurus, diſſerüit paululùm de Politico regimine. Primò cum obediendum eſſe ſupremo Principi dixiſſet, & reprehendi meritò illos, qui ex Religione propriâ anſam rebellionis arripiunt, debuiſſet ſuos Hugenottas perſtringere, tinctos vtique infamiâ rebellionis, & hoc diſſimulare eum non oportuiſſet. Nam res eſt in comperto, & ideò Dionyſius Saluagnius Regius Orator, exponens & excuſans ſeram obſequij profeſſionem, quam exhibebat Chriſtianiſſimus Rex per Crequium Legatum ſuum; *Se facturum*, inquit, *ſatis non putauit, niſi Sanctitati eius munus offerret, quo nullum maius, & Regiâ munificentiâ dignius dari vel excogitari poßit; ſpolia nimirum & trophæa perduellium hæreticorum.* ſic ipſe. Poſteà memorans ſuſceptam in Bearnenſes bellicam

licam expeditionem, biennij ſpatio ait ſupra centum & quinquaginta ciuitates, partim vi partim deditione, accepiſſe imperium Regis: en quanta fuit, in ſolo Galliæ regno, ex reformatâ religione rebellio. Peculiariter de Rupellâ, *Hæc*, inquit, *vbi ſe peti animaduertit, Franciæ ruinam & luctuoſum exitium pacta, Britannos centum & viginti roſtratarum nauium claſſe ſuccinctos, in inſulam Cracinam euocat*. Et paulò pòſt: *Illud*, inquit, *Hæreſeos propugnaculum corruit, & cum eo proſtrata eſt rebellio, proſtrata eſt hæreſis ipſa, quæ per totos ſeptuaginta annos Franciam cladibus atrociſſimis diſtraxerat.* Sic ipſe. Conferat hæc Molinæus cum his, quæ de Sectarijs ſuis, deque ipſorum fide erga Regem, vaniſſimè iactauit.

Combien plus, ayant vn bon Roy & clement, ſommes nous obligés à luy eſtre fideles?

2. Fatetur prætereà, gubernationem non inueniri deteriorē Anarchiâ, in quâ ſunt omnes ſerui & mancipia, vel ideò, quia ſunt omnes domini; cùm exceſſus libertatis ſit origo vera ſeruitutis. Qui tamen ita iudicauit de gubernatione politicâ non malè; nihilominus Eccleſiæ ac Religioni Anarchiam obtrudit, ſublato Pontifice Maximo, qui Rex ſacro-

I'ay touſiours creu, qu'il n'y a point de pire eſtat que l'Anarchie, en laquelle chacun eſt eſclaue, pour ce que chacun eſt maiſtre, & ou vn exces de liberté eſt cauſe de ſeruitude.

rum & Monarcha ipſius eſt;ſublatiſque orthodoxis Epiſcopis, qui ſunt eius Optimates. Ex quo fit, vt Synagoga tum Lutheri tum Caluini vera ſit Anarchia, non abſimilis gehennę,in quâ nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.

Iob. 10.

3. Mox de legibus humanis loquens, ait obtemperandum malis legibus potiùs eſſe, quàm turbandam pacis publicæ tranquillitatem, & progrediens veluti nouus Plato in Tractatu de legibus, ait legum humanarum vim fundari,non in eo quidem quòd iuſtæ illæ ſint, ſed in eo quòd ſint latæ ab illo, penes quem poteſtas eſt eas condendi.

La force des loix humaines ne giſt pas en ce qu'elles ſont iuſtes, mais en ce qu'elles ſont loix, & faictes par celuy qui a authorité.

Trahitur nimirum hæc Molinæi ſapientia ab Oraculo illo,

Sic volo,ſic iubeo;ſtat pro ratione voluntas.

At iniunxit Legiſlatori Plato,vt cauſam legis ſemper legi adderet, quò ita videretur iuſta eſſe, & mereretur populi conſenſum; ſecùs verò agere dixit duros legiſlatores ac tyrannos.

4. Vt breuior ſim,alia non recenſeo: hortor dumtaxat Molinæum, vt aliis perſuadeat, Monarchiam permagni ab Hugenottis æſtimari. Refero autem me ad Sereniſſimum Iacobum Regem magnæ Britanniæ;

niæ; qui Puritanos ait Monarchiam vbique deſtruere, & ſtabilire eius loco Democratiam, vt in populos pro libidine ſoli dominentur. Quæ demum adfert de præſtantiâ Monarchiæ, vereor quemadmodum accipientur à Batauis, qui longè aliâ vtuntur gubernationis formâ: & hanc eamdem tamen Molinæus, Vir ſibi numquam ſatis conſtans, cum ſummâ exaggeratione aliquando laudauit. In Præfat. Anatom. Armenian.

5. Alioquin haud ignoro, cuiuis alteri Politicæ gubernationi Monarchiam anteferendam eſſe: rectè enim Clariſſimus Vir Erycius Puteanus, *Miſerrimus*, inquit, *eorum ſtatus, qui pluriū & plebeiorum, & quod ſequi ſolet, popularibus odijs diuiſum Imperium patiuntur. In diuinis humaniſq; Monadis maieſtas eminet; & regimini apta: in familiâ Pater, in grege Dux, in Republicâ Princeps, in Vniuerſo Deus. At multitudinem imperantium nunc auaritia collidit, nunc ambitio, nunc alia cupiditatum monſtra. Hydra ſæpiùs in Democratiâ inuenta, &, quod Demoſthenes aiebat, bellua multorum capitum.* In Diſſertatione de inducijs.

O CA-

CAPVT XXIV.

Iniuſtiſſimè Molinæus ſuadet opes omnes Clero & Eccleſiæ auferendas, tollendamq́ue eius immunitatem.

Si noſtre Religion eſtoit generalement reçeüe en France, la Maieſté Royale ſeroit plus exaltee, & ſa puiſſance croiſtroit de plus de moitié.

Il n'y auroit en France autre Iuſtice que celle du Roy.

1. EXecrabile conſiliũ Regi Chriſtianiſſimo ſuggerit Molinæus, ſuadens vt Cleri opes & omnem immunitatem ſupprimat, & vt Eccleſiarũ patrimonia ſurripiat. Prædicit verò fore, vt Galliæ Regnum, ſi hoc fiat, floreat deinceps quàm maximè.

Hoc enimuerò eſt conſilium Achitophel ſuadentis Abſaloni eam defectionem aduerſus Dauid Regem & Parentem, & adeò grauem in eum offenſam, vt non niſi deſperatâ reconciliatione bellũ auſpicaretur.

2.Reg.15. & 16.

Le Clergé ſeroit ſuiet aux loix ciuiles, & ſeroit iuſticiable deuant les Iuges Royaux. Tant de terres nobles poſſedees par le Clergé tombees en main morte, deuroient au Roy les meſmes ſeruices & redeuances, que les autres terres poſſedés par la nobleſſe.

Matth. 22.

2. Ita Molinæus nouit deſperatam fore reconciliationem, ſi à Principe laico Eccleſiarum bona occupantur. hoc opus, hic labor eſt iam in Germaniâ. Decretum Cæſaris, vt reddantur Deo, quæ ſunt Dei, demum etiam

etiam duos è Septem viris, anteà Cæſari amicos & fidos, ad ſocietatem belli cum Sueco, & aliis fœderatis, adegit. Hoc pariter impediuit ſummopere, quò minùs Regnum magnum Britanniæ, olim erga ſanctam Romanam Sedem obſequioſiſſimum, cũ eâ in gratiam redierit. Tot enim & tam opulenta Cleri ac Cœnobiorum patrimonia, in Regium ærarium, aut in laicos alios tranſcripta, reconciliationem difficillimam reddiderunt. Sperandum eſt nihilominùs, cùm Sereniſſimi Regis Caroli mens & maieſtas ſit æquitatis ſtudioſiſſima; & cùm præſertim non ſit abbreuiata manus Domini, mereanturque Numinis propitij ſecundas aures iuſtiſſimæ preces, gemitus ac ſuſpiria plurimorũ, qui dolent nobiliſſimum Regnum premi opprimique hæreſi tam diuturnâ ac pertinaci.

3. Vt redeam ad Molinæi iniquiſſimum ac deteſtabile conſilium; lubet ſuperiora tempora aliquantulùm diſpicere, vt in comperto ſit, ad quorumnam Principum exempla trahere Ludouicum XIII. Chriſtianiſſimum Regem adnitatur.

4. Henricus IV. Cæſar palàm Abbatias, Epiſcopatus, & Cœnobiorum opima prædia ſolitus nundinari, etſi tandem vtcumque reſipuit, & ad Canuſium, Caſtrum *De his vide Baronium, Spondanũ, Bzouium.*

Hetruriæ, vulgari habitu, nudiſque pedibus in Pontificis conſpectum veniens, deprecantibus Mathilde atque Azone eius viro, veniam obtinuit (exemplo Pœnitentiæ illuſtri ſanè, ac numquam aliàs viſo, ſi vera fuiſſet) de integro poſtmodum eadem patrauit, ideoque Germaniæ Proceres indicto eum comitio exauctorarunt.

5. Fridericus Imperator, vniuerſam licet Italiam ſpolians, & in cuſtodiam Cardinales ipſos conijciens, qui ex Galliâ Romam ad Concilium proficiſcebantur, atque adeò Eccleſias diripiens, nihilominùs eâ pecuniæ inopiâ laborauit, vt parari nummos ex corio demũ iuſſerit, ne ſtipendia militi deeſſent.

6. Conradus item Cæſar, Epiſcopatus & res Eccleſiaſticas diſtribuens, vti pretia tum adulterij tum præpoſteræ libidinis, in ea ſcelera tandem prolapſus eſt, vt coniugem, innocentiſſimam feminam, cuſtodiæ tradiderit; nec alios modò ſit hortatus ad vim eius pudicitiæ inferendam, ſed ipſum filium incitauerit ad flagitium; renuentemque negauerit ab ſe genitum, affirmans procreatum à viro quodam peregrino, cuius vultui ſimillimus erat.

7. Vitiza VViſigothorum Rex, Hiſpaniam quidem à Romani Pontificis auctoritate ſubmouit; ſed vir fuit adeò ardens libidine,

bidine, vt non modò plenam vxoribus atque pellicibus Regiam haberet, ſed iiſdem irretiret Epiſcopos & Sacerdotes; quò ita eorum exemplo liberiùs peccaret. Secuta eſt mox vltio diuina: ſiquidem Iuliano Comite, vlciſcente probrum filiæ à Rege compreſſæ, & euocante Saracenos ex Africâ in Hiſpaniam, cùm ij ſtatim adfuerint, ſibi omnia Rege ſuperato ſubegerunt. Quare in his flagitiis, & in hoc ſchiſmate Regnum Gothorum, trecenteſimo circiter anno quàm in Hiſpaniâ cœperat, defecit.

8. Recentiora ſunt exempla, ſed non minùs grauia, Henrici VIII. in Regno Britanniæ, qui in Bolenæ amorem effuſus, & repudiatâ Catharinâ coniuge ac Reginâ, hæreſim, quam ſcripto confutauerat, ſecutus, nec à bonis nec à ſanguine Catholicorum manus abſtinuit. Sed & publico edicto ſe caput Eccleſiæ in Angliâ dixit, ac denique Annam Bolenam delicias ſuas, adulterij compertam, capite damnauit. Ceterùm eumdem Henricum Regem præda ſacra omnino pauperem fecit: anno ſiquidem Regni XXXVI. poſt templa expilata, poſt direpta mille ampliùs monaſteria, poſt decimas & prouentus ſacerdotiorum Regio ærario attributa, nihilominùs eò egeſtatis eſt redactus, vt pecuniam adulterare ipſum oportuit. Nicol. Sander. de Schiſm. Angl.

 opor-

oportuerit. Cùm autem partem vndecimam ex cupro & ſtanno anteà miſcuiſſet argento, vix duas demum argenti vncias cum cupro & ſtanno retinuit. Quocircà ei pecuniæ Rex Eduardus dimidium pretij edicto publico ademit, Eliſabetha verò eam alio edicto, vti ſpuriam, abrogauit. Cùm inſuper, quemadmodum ex Annalibus Angliæ conſtat, plura ſolus vectigalia impoſuiſſet Regno, quàm Reges alij ſimul ab annis quingentis, exigens tertiam prouentuum partem à ſubditis, & illos vinculis tradens, qui repræſentare cenſum imperatum detrectarent; adhuc in comperto eſt, ipſum nihilominùs Regem maximè inopem fuiſſe.

9. Eat nunc noſter Vates Molinæus, & ore fatidico canat, fore Regnum Galliæ dimidio opulentius, ſi prædia & latifundia Clero auferantur, &, ſi bona manus mortuæ, vt ipſe loquitur, obligata ſint Regi perinde ac bona laicorum. Friderici Cæſaris & huius Henrici Regis ſcilicet exempla confirmant vaticinium eius. Interim alia ſectabitur veſtigia Ludouicus Iuſtus Rex Chriſtianiſſimus, ſemperque obuerſabitur animo eius ſanctus Ludouicus Rex, qui cùm recuſaret ſacerdotia conferre, malletque Prælatis Eccleſiæ integrum eſſe, de illis diſpo-

Genebrardus & Spondanus

diſponere; in ignem coniecit diploma Pontificium, in quo ſibi offerri ea poteſtas dicebatur; affirmans ſatis grande onus relictum humeris ſuis, vt nimirum redderet Numini rationem de rebus temporariæ gubernationis, quas diſponere ac diſtribuere debebat.

10. Obiter illud aduertere ſit, tam iniquæ mentis Molinæum eſſe, vt Chriſtianis Sacerdotibus minùs velit concedi, quàm conceſſerit olim Ioſeph Prorex in Ægypto Sacerdotibus idololatris. *Emit* enim *omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeßiones ſuas præ magnitudine famis: ſubiecitq́ eam Pharaoni, & cunctos populos eius, à nouißimis terminis Aegypti vſque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Regè tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcircò non ſunt compulſi vendere poſſeßiones ſuas.* Gen. 47. Molinæus tamen omnia vellet eripi Sacerdotibus, quamuis ſuffragetur eis antiquiſſima poſſeſſio, & bona eorum ac decimæ ſint inductæ iure diuino; ſolueritque eas, redux de pugnâ quinque Regum, Abraham figura laicorum, Regi Melchiſedech Gen. 14. qui erat figura Sacerdotum.

11. Molinæus pariter nihil penſi ducit, beneficia Eccleſiaſtica è medio tollere, in-

Baron. ad ann. Chriſti 501. ſtituta à mille centum ampliùs annis: ex quo nimirum tempore, cùm ſolerent priùs Clerici ab Epiſcopo quouis menſe ſtipem accipere, atque eâ ſuſtentari, cœpta ſunt Eccleſiæ prædia eis potiùs tribui; quæ beneficia fuerunt appellata, quoniam, vt loquitur in Epiſtolâ ſuâ, Symmachus Papa, benè meritis tantùm ea concedi liceret.

Spondan. in Auct. ad an. 1457. 12. Subit animum recordatio Ioannis Behaim tympaniſtæ, & pecudum paſtoris; qui negans initio, decimas Clero eſſe ſoluendas, vitamque & mores Eccleſiaſticorum lacerans, poſteà Regibus etiam vectigalia ſolui non debere, ſed omnia communia eſſe, ſuaſit. Ita nimirum ſenſim ageret Petrus Molinæus, paſtor gregis Carentonij; ſi vera memorat de Caluiniſtis Sereniſſimus Rex Iacobus, vti alibi inſinuauimus.

13. Quòd deinde Molinæus nollet in Regno Galliç vllum Eccleſiæ tribunal, prçter Regis Prætorium, eſſe, ſed Clericos omnes ſubijci laicæ iuriſdictioni, & cauſam dicere ante ſolos Iudices Regni; ac ne multis, adimi eis omnem immunitatem fori; ſapit id enimuerò antiquum Chriſtianiſmum, quem ſcilicet tam ſplendidè profitetur.

14. Atqui Conſtantinus Magnus reſcriptum

ptum dedit pro eâ immunitate: imò & legem tulit, quâ poteſtas fieret quibuſuis, ſeu Eccleſiaſticam, ſeu laicam litem, & inter ſolos laicos agitarent; vt omiſſo tribunali laico, prouocarent ad Epiſcopos, & in Ius potiùs ad eos irent. Quorum inſuper ſententiam eſſe ratam voluit, & quibuſcumque ſententiis aliorum Iudicum ac Præſidum anteferri perinde, ac ſi Imperator ipſe in causâ pronuntiaſſet. Spondanus ex Baronio.

15. Valentinianus quidem ſuſtulit poſteà hoc ipſum Cleri forum; ſed luit impietatis & iniuſtitiæ huius pœnas; quia tunc permiſit Deus, vt Attila nobiliſſimas Imperij Romani Vrbes, Ticinum, Aquilejam & Mediolanum expugnaret.

16. Peculiariter in Galliâ non videtur poſſe Molinæus id abſque notâ infamiæ ſuadere, ſi aliquando legit; Petro Cunerio, Aduocato Regio in Senatu Pariſienſi, actione celebri hoc vrgente coram Philippo Valeſio Francorum Rege, vt Epiſcopis nimirum omnis temporaria Iuriſdictio adimeretur, infringereturque libertas Eccleſiæ; Regem Epiſcopis litem adiudicaſſe, ex eaque re Catholici nomen promeruiſſe; at ipſi Petro Cunerio in Eccleſiâ Pariſienſi adpoſitum ignominiæ perpetuæ monumentum: multò æquiùs vtique adponen- AEmil. Vigner. Genebr. Gualter. Spondan.

dùm Petro Molinæo, idem ſuadenti; cùm præſertim falsò ac ſuperbè appellauerit ſe inſcripſeritq; Paſtorem Eccleſiæ Pariſienſis. Ceterùm notabile illud fuit, controuerſiam antedictam à Rege Philippo abſolutam fuiſſe ipſo anniuerſario die ſancti Thomæ Cantuarienſis, qui fuit Eccleſiaſticæ immunitatis inclytus acerrimuſque vindex ac propugnator.

CAPVT XXV.

Aſſeritur conſuetudo antiquiſſima exoſculandi pedes Romanorum Pontificum.

Poze dire que la principale cauſe de la haine qu'on nous porte, eſt, par ce que nous defendons par la parole de Dieu les droicts de nos Roys contre les vſurpations des Papes, qui leur font baiſer leurs pantoufles.

1\. PRæcipuam cauſam odij aduerſus Sectarios affirmat Molinæus eam eſſe, quia tuentur ex verbo Dei Regum ſuorum iura, aduerſus inuaſiones Pontificum, qui Reges eoſdem adigunt ad crepidarum ſuarum oſcula.

Sedani pariter ex hoc capite Pontificem arguit ſuperbiæ non ferendæ, quòd videlicet admitteret ad oſculum pedum Principes, Reges ac Cæſares. Excepi ego, poſſe ab ipſo perinde argui ſuperbiæ ſanctum Petrum, qui ad pedes ſuos Chriſtum admiſit,

ſit, vt eos lauaret extergeretque: nam dixi, maiorem Regibus Chriſtum eſſe, & eſſe plus lauare pedes, quàm eos oſculari. Cùm autem reſponderet ſanctum Petrum vtique id recuſaſſe; adieci, ſaltem ab eâ ſuperbiæ notâ immunes, ipſo Iudice, non exiſtimandos Apoſtolos alios, qui non recuſauerant. Et quia Chriſtus, *Quod vni*, inquit, *ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; aſſumpſi poſſe credi, dicere tunc pariter voluiſſe, quod Maximo ex meis feciſtis, mihi feciſtis. Num Romanus Pontifex eſt eorum Maximus, qui militant Chriſto & Deo? Matth. 25.

2. Voluit Molinæus ſapientior videri, & de operibus miſericordiæ tantùm affirmauit Chriſtum ibi eſſe locutum; quaſi non fuerit illa vniuerſalis quædam enuntiatio, collecta quidem ex particularibus, ſed complectens omnia, propter quæ promeremur vitam æternam. Ex quo genere negaueritne Molinæus eſſe inopum lauare pedes? quod egit præclaro exemplo Nicolaus II. quotidie dum Pontifex fuit; & quod agunt quotannis Feria v. Maioris hebdomadæ, tum quilibet Romanus Pontifex, tum Epiſcopi omnes. Card. Pet. Damian.

3. Operæ pretium eſt, vt oſtendam morem omnibus ſæculis receptum iniuſtè à Molinæo carpi; operæ pretium, inquam

eſt,

eſt, aliquantulùm à curâ referre moris eiuſdem originem, ætatem & conſuetudinem in Romano ſaltem Pontifice numquam intermiſſam.

Card. Baron. ad an. Christi 795.

4. Fabula eſt, Leonem III. Pontificem, paſſum ſtimulos carnis, ob mulieris formoſæ oſculum manui impreſſum, confeſtim ſibi manum præſcidiſſe; & tunc cœptum hoc induci, vt pedibus potiùs oſculum imprimeretur. Olim nationes exteræ oſculabantur pedes Principum ſupremorum; eorumque dein exemplo Caius, Caligula, Nero, Otto, Traianus, Adrianus, Antoninus, Diocletianus Romani Cæſares admiſerunt ſalutantes, adeunteſque, ad genu & ad pedis oſculum.

Ioſephus Stephanus.

5. Non ignoro equidem, Ioannem Cuſpinianum crimini vertere Pontifici Romano, quòd exemplo Diocletiani, calceamenta ſua inornantis auro argentoque, vt accipere oſcula magis pretioſa videretur, morem eiuſmodi, quem vocat tyrannicum, inter Chriſtianos induxerit; ſed ignorare ipſe videtur, id in vſu fuiſſe multò ante Diocletiani tempora, ac poſſe ijs oſculis ineſſe religionem & ſanctitatem.

6. Prætermitto eſſe multorum grauem ſententiam; primos Chriſtianos, cùm ad pedes Apoſtolorum ſua contulerunt bona, pe-

pedibus eorumdem oſculum dediſſe; & natum inde morem, de quo iam agimus. Claudius certè affinis Principis Diocletiani, oſculatus fuiſſe perhibetur pedes Gabinij Preſbyteri, à quo in fide Chriſtianâ inſtruebatur. Hoc egit Præpedigna eius coniux cum Pontifice Caio, atque adeò Maximus, adhuc Ethnicus & Diocletiani conſanguineus; quando ad eum Pontificem acceſſit, vt exponeret conſilium Diocletiani de virgine Suſannâ. Baron. ad an. Chriſti 249.

7. Porrò iis oſculis ineſſe religionem ac ſanctitatem, ſatis inſinuauit Tertullianus, dum refert; pœnitentes, cùm ab Eccleſiâ recipiebantur, ſolitos fuiſſe proſterni, & omnium qui adſtarent veſtigia lambere. Lib. de Pœnitentiâ maximè cap. 9. Quin etiam diuus Ioannes Chryſoſtomus hoc præclarè circumſcribit, dum de ſanctis Monachis, *Ad eos*, inquit, *abi, hoſpitare, accede, ſanctos tange pedes; multò namque honeſtius eſt illorum pedes tangere quàm aliorũ caput. Dic enim mihi, ſi quidam ſtatuarũ pedes apprehendunt, quoniam regiam tantũ habent figuram, tu ipſum in ſe habentem Chriſtum non pedibus tenebis? Sancti ſunt pedes, licet viles ſint: inquinatorum verò neque caput venerandum eſt. Sanctorum namq; pedes magna potuerunt; quamobrem & vlciſcuntur, cùm pedibus puluerem excuſſerint.* Sic ipſe. Chryſ. ad Popul. Antioch. Homil. 59.

8. Mul-

8. Multò magis hic honor Epiſcopis deferebatur, quorum vtique pedes certatim etiam diſcalceare primi Chriſtianorum ſtudebant. Ideò res noua, & digna comploratu viſa eſt, cùm ſanctus Polycarpus ante rogum martyrio eius iam exſtructum, ſoluto cingulo, & exutis veſtibus, calceamenta ipſe ſibi detraxit, prohibitis Chriſtianis, ne ad ipſum accederent. Vt enim acta Martyrij eius perhibent; *Qui tum luctus Chriſtianorum fuit, qui dolor animi, cùm ſe id officij præſtare ſancto ſeni, quod anteà ſemper præſtare ſoliti erant, & certatim omnes appetebant, iam non poſſe conſpexerunt?*

Petrus Halloix in Vitâ ſancti Polycarpi.

9. De ſancto etiam Fructuoſo Epiſcopo & Martyre id Prudentius cecinit his verſibus:

Prud. de Coronis. Hymno 6.

Certant officijs pij ſodales:
Plantis calceamenta diſſolutis
Pronus detrahere ſtudebat vnus.
Sed ſanctus vetat ora Fructuoſus
Inclinata premi; Faceſſite, inquit,
Ne noſtram grauet obſequela mortem.
At quin ipſe meos pedes reſoluam,
Ne veſtigia præpedita vinclis,
Tardis greſſibus irruant in ignem.

10. De honore ad pedes Epiſcoporum Eccleſiæ, per Chriſti fideles, etiam in ſummâ dignitate conſtitutos, exhiberi magnâ ſub-

ſubmiſſione conſueto, plenæ ſunt ſacrę Hiſtoriæ. Nonnulla ſuggero. Suidas in Leontio narrat, Leontium Tripolitanum in Lydiâ Epiſcopum, cùm euocaretur ab Euſebiâ Auguſtâ, feminâ ſuperbi ac ferocis ingenij, reſpondiſſe in hanc ſententiam: Si me ad te venire volueris debitâ Epiſcopis reuerentiâ conſeruatâ, ego quidem ingrediar, tu autem de ſublimi iſto ſolio deſcendens, reuerenter mihi obuiàm procedas, & caput meis manibus ſupponas benedictionem acceptura; ac deinde ego ſedeam, tu verò adſtes; cùm iuſſero ſigno dato, ſeſſura. Si hæ inquam conditiones placuerint, veniam ad te; ſin alio modo, non tam multa dabis, non tam magna poteris, vt nos, honore Epiſcopis conueniente neglecto, diuinum Sacerdotij inſtitutum violemus.

Simeon Metaphraſtes in Vitâ S. Baſilij & Hiſtoriâ tripartitâ lib. 10. narrat, S. Baſilium vnà cum Eubulo ſuo præceptore cũ veniſſet Ieroſolymam, procidiſſe ad pedes Maximi Epiſcopi, & rogaſſe vt ipſos baptizaret. Idem Metaphraſtes ſcribit, Anaſtaſium Preſbyterum coram S. Baſilio ſe in terram humiliaſſe, & oſculatum fuiſſe eius pedes.

Sanctus Ambroſius lib. 1. de Dig. Sacerd. cap. 2. & 5. & S. Auguſtinus Serm. 18. de

Verbis

Verbis Domini, aiunt, Reges & Principes procumbere ſolitos ad pedes Sacerdotum, oſculantes eorum manus.

Venantius lib. 3. Vitæ S. Martini de Imperatore Valentiniano Arriano narrat, quòd cùm dedignaretur S. Martino exhibere reuerentiam, fuerit à Deo punitus, & conflagrauerit ſolium in quo ſedebat, atque his verſibus rem deſcribit:

Hinc celer exilijt rapiens ſe Cæſar & ardens;
Martini genua amplectens pedibuſq́ volutans.
Sicq́ ſuperbum hominem ſe agnoſcere pœna coëgit,
Vilia regna probans, & celſa cacumina curuans,
Imperiale caput Sancti ad veſtigia ſubdens.

11. Si talis veneratio ad pedes Epiſcoporum Heroicis illis Eccleſiæ Romanæ temporibus fuit, non magnopere brachia iactabit admirabundus Molinæus, ſi videat quæ officia ſubmiſſionis ad pedes Summorum Pontificum Imperatores aliquando præſtiterunt. Sic enim Nicephorus lib. 5. cap. 25. narrat, Philippum primum Imperatorem Chriſtianum anno 250. ſe proſtrauiſſe ante pedes Papæ Fabiani, & idem habet Euſebius lib. 6. cap. 26. quemadmodum etiam de Conſtantino Magno, quòd pedes

pedes tamquam ſamulus duxerit per habenas equum S. Silueſtri Papæ vſque ad Palatium Lateranenſe.

12. Oſculum verò pedibus Epiſcoporum dare ſolitos, vt iam iam oſtenſum eſt, & genibus eorum etiam Auguſtos & Reges aduolui conſueuiſſe, Fortunatus Poëta ſatis inſinuat; dum de Maximo Imperatore, quando excepit ſanctum Martinum, illos verſus decantauit, quos paulò antè attulimus. De Auguſtâ verò eius coniuge hæc addit: Lib. 3. Vitæ S. Martini.

Nec Regina pedes ceſſat lacrymoſa rigare,
Sternens membra ſolo, ſuſpendens gaudia voto.

13. Quæ profectò fingi poëticè nemo ſapiens exiſtimabit, cùm narret eadem Seuerus Sulpitius, & cùm nota inprimis hiſtoria ſit eiuſdem ſancti Martini, pateram Preſbytero primùm, ac dein Auguſto præbentis; & cùm ſatis conſtet, ipſam Auguſtam ei conuiuium paraſſe, ac miniſtraſſe inſtar ancillæ, ſolaſque de prandio reliquias auidè ac piè comediſſe. Lib. 3.

14. Ne Poëtis tamen ſolis pro hac re fides habenda videatur, ſanctus Auguſtinus, *Ad Eccleſiam*, inquit, *curris, Epiſcopum videre deſideras, ad pedes eius volutaris.* Sanctus Ambroſius, *Regum*, inquit, *colla ac Prin-* S. Auguſt. Serm. 18. de Verb. Apoſtoli. S. Ambr. l. de Dignit. Sacerd. c. 2.

P *cipum*

cipum ſubmittuntur genibus Sacerdotum. Et
S. Hier. in Epiſtol. aduerſus errores Ioannis Ieroſ. ſanctus Hieronymus perinde teſtatur conſueuiſſe plebem Epiſcopis occurrere, ac ſe proſternere ad eorum exoſculandos pedes. Hic hõnor autem multò magis exhibebatur Romano Pontifici, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum.

Deut. 33. 15. Certè cùm prædixerit Moyſes, adeundos pedes Dei, & hauriendam ab eis doctrinam cæli; & cùm Iſaias hæc vaticinatus fuerit: Iſai. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent*; cur non exiſtimandi ſunt pedes Romani Pontificis, eſſe pedes Dei, ſi pedes ſimulacri regij pedes Regis vocari ſolent? aut quæ alterius vaticinij magis conſentanea interpretatio adferri poteſt, niſi vt dicamus, eum prædixiſſe futurum aliquando, vt Reges & Principes magni oſcularentur pedes Eccleſiæ in Romano Pontifice, & in aliis Epiſcopis eius? Qui Eccleſiæ filij ſunt, gaudent vtiq; ob hanc eius ingentem gloriam; ob eamdem verò Sectarij rumpuntur inuidiâ, quia Eccleſiam matrem non agnoſcunt, nec tantis illius honoribus delectantur.

16. Iam vt peculiariter oſtendam, conſuetudinem hanc non fuiſſe intermiſſam,

quod

quod ſaltem ſpectat ad ſolos Romanos Pontifices; aduerſus quorum crepidas Molinæus dicteriis ſuis auditus eſt concrepare; inclytos aliquot Principes recenſebo, qui hoc obſequium eis præſtitere.

17. Iuſtinus Imperator, Conſtantinopoli egreſſus, & ad duodecimum lapidem obuius Romano Pontifici, pronus venientem adorauit. Iuſtinianus II. illatas ab ſe iniurias Pontifici Romano gloriâ illuſtris obſequij compenſaturus, Conſtantinum Papam inuitauit Conſtantinopolim; venienti obuios miſit Tiberium filium & Cęſarem, Cyrumque Patriarcham cum Senatu & Populo. Ipſe autem, quia tunc Nicææ in Bithyniâ morabatur, eidem occurrit Nicomediæ, ac ſe ad pedes illius oſculabundum proſtrauit. Anaſtaſius, Baron. ad an Chriſti 525. & 710.

18. Carolus Magnus adhuc Rex, poſtquam Deſiderium prælio fuſum & malis domitum regno exuerat, Romam veniens, Adriani Pontificis pedes non priùs oſculatus eſt, quàm oſculum impreſſiſſet omnibus gradibus ipſiuſmet atrij, in quo eiuſdē Pontificis ſolium ſpectabatur. Ludouicus Pius exemplo tam glorioſi Parentis Stephanum Quintum Pontificem in Galliis ita excepit, vt ſe ad pedes ipſius in primo acceſſu ter aduoluerit, ac dein equo inſi- Spondanus ex Baronio Anaſtaſius, Baron. ad an. Chriſti 816.

dentem Remos Vrbem regiam ipſe pedes introduxerit. Alter Ludouicus item Cæſar,
Anaſtaſius, Baron. ad an. Chriſti 858.
& Lotharij filius, Romam profectus, oſculum obtulit pedibus Sergij II. nec aliter excepit Nicolaum, alterum Pontificem, ad ſua caſtra venientem; frenoque duxit equũ eius, dum accederet, recederetque.

Baron. an. Chriſti 1177.
19. Fridericus Ænobarbus Viterbium ad Adrianum IV. veniens, ſpeciem quam dixi Pontificiæ maieſtatis renouauit: nam pedes obuiàm prodijt, deſcendenti ex equo ſtapedam tenuit, ac functus eſt munere Stratoris, ex Procerum & totius exercitus decreto atque ſententiâ. Quod nobile Imperij ſui rudimentum etſi pari obſeruantiâ erga Alexandrum III. aliquamdiu proſecutus non eſt: attamen poſt ſucceſſus improſperos expeditionum ſuarum, agnoſcens cum hominibus ſibi bellum non eſſe, ſed cum Deo, Pontifici eidem Venetiis ante fores ſancti Marci, exutus chlamyde, ac procumbens humi, pedes oſculatus eſt, rurſuſque Stratoris munus obiuit. Poſt obitum verò illius Cæleſtinus III. filio & coniugi, ſedens in ſolio, ita Imperij diadema dedit, vt illud vterque ſumerent de pedibus ipſius.

Anaſtaſius, Baron. ad an. Chriſti 753.
20. Vt Reges quoque Imperatoribus acceſeam, Pipinus Rex Stephano II. Pontifici in Galliis oſculatus eſt pedes, frenum equi

equi tenuit, & ad Regiam deduxit. Ludouicus Balbus Ioannem VIII. Pontificem pari honore excepit Lugduni more maiorum. Ludouicus Franciæ, Henricus Angliæ Reges Alexandro III. apud Ligerim fluuium præſtò fuerunt, & pedites dextrâ læuâque frænum equitantis rexerunt vſq; ad hoſpitium; & cùm hi duo potentiſſimi Reges in diſſidio magno eſſent, mirè tamen conſenſerunt, vt Chriſti Vicario obſequerentur. Cum eadem obſeruantiâ Lugduni adfuere Clementi V. tres Reges, Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, & Iacobus Aragoniæ; dum ibi in Eccleſia ſancti Iuſti à Cardinalibus Pontifex ſolemni ritu inaugurararetur. Rogerius Siciliæ Rex cum liberis ſuis, prope ſanctum Germanum, & prope montem Caſſinum, ſe ad Innocentij pedes quàm demiſſiſſimè prouoluit, idque egit perinde cum Adriano IV. Rex item Siciliæ Guilielmus. Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum.

21. Vt nihil dicam de Luitprando Rege Longobardorum Vrbem Romam obſidente, cui videlicet tamquam hoſti demittens ſe Gregorius III. tantam obſeruantiæ neceſſitatem dedit, vt confeſtim ad illius pedes acciderit, & veneratus ſanctorum Apoſtolorum corpora, abſque alio damno cum exercitu ſuo abierit. Et quia Rex At- Anaſtaſ. in Greg. II.

tila etiam reueritus eſt ſanctum Leonem Pontificem, diſcat Molinæus vel ab his duobus ſaltem barbaris Regibus, Romano Pontifici obſequium deberi.

22. Neque eſt cur aliquis excipiat, Pontifices paſſim haud perinde ſanctos eſſe, atque erat ſanctus Leo: quia profectò nemo Catholicus hîc debet permoueri; neque enim Pontifex colitur, quia ipſe ſanctus eſt, ſed quia eſt Chriſti Vicarius, ac Petri ſucceſſor. Qui ſecùs iudicant, ſentire idem videntur ac Sereniſſimus Rex Iacobus, ex cuius ore Iſaacus Caſaubonus affirmauit, hæc ſe aliquando accepiſſe: *Rebus ipſis probet Romanus Pontifex, non ſuam ſe, verùm Dei immortalis gloriam quærere, & populorum pacem, concordiam ac ſalutem ſibi eſſe curæ. Tunc Sereniſſimus Rex, quod in Monitoriâ ſuâ dudum eſt proteſtatus, ſine cunctatione primas illi deferet, ipſumq́; πάσης τῆς ἐκκλησίας προνοεῖν, cum Gregorio Nazianzeno dicet non inuitus*; hoc eſt, fatebitur totius Eccleſiæ prouidentiam habere.

23. Sanè fuerunt in XI. potiſſimùm ſæculo Pontifices parum conſentanei muneri magno & ſacro, quod in terris gerebant. Attamen quotquot eo tempore Cæſares ac Reges dominabantur, ſupra modum erga illos obſequioſi erant; quia in illis non mo-

res ipſorum, ſed Chriſti Vicariam poteſtatem reuerebantur.

24. Legatos quoque Romani Pontificis Principes verè Catholici coluerunt omni honore præcipuo; in eiſque agnouerunt vmbram Petri. Ioannes Angliæ Rex Richardo fratre interempto, expilatis ædibus ſacris, & contempto fulmine Pontificij anathematis, tandem admonitus crebris infortuniis, pacem ab Innocentio III. exorauit; & proſtratus humi, excepit Legatum eius, Regiumque diadema ponens ad eiuſdem pedes, non niſi ſexto pòſt die, & inſtar beneficij quidem magni, recepit; tunc verò Angliam atque Hiberniam Sedis Romanæ ſtipendiarias fecit.

25. Nihil attinet dicere de S. R. I. Electoribus, qui primum honorem deferunt in conſeſſu Legatis Pontificiis, & in omni congreſſu. Ita Coloniæ inſtitutâ publicâ Supplicatione, Ioannes Baptiſta Caſtaneus Archiepiſcopus Roſſanenſis, & Apoſtolicus Legatus, medius inter Gebardum Truchſeſium Colonienſem & Iacobum Treuirenſem Electores, proceſſit: poſt eos verò ſequebantur, Iulius Antiſtes Herbipolenſis Cæſareus tunc Orator Carolus de Aragoniâ Dux Terræ nouæ Orator Hiſpani Regis, & Philippus Dux Arſchottanus Ora- Mich. ab Iſſelt lib. 1. de Bello Colon.

 tor

tor Prouinciarum Belgij. Perinde in Maximiliani Regis Romanorum inauguratione ſedit Francofurti ſupra Electores Pontificius Legatus, & infra ipſos Legati aliorum Principum ac Regum.

Petrus Suareſius in Hiſt. Conc. Trident. ad an. 1562.

26. Conſtat inſuper, vmbram Petri extendi quoque ad Epiſcopos Orthodoxos: ſic in Nicæno Concilio trecentorum ampliùs Epiſcoporum, Conſtantinus Magnus poſtremus ſedit. Nec deeſt qui ſcribat, olim Reges Hiſpanos, quoties adirent Synodum Epiſcoporum, humi pronos toto corpore ſolitos terram exoſculari; nec ex pauimento anteà exſurgere, quàm Epiſcopi eos, circumfuſos pedibus ſuis, erigerent, & in ſellâ conſentaneâ ipſorum dignitati collocarent. Henricus Bauarus Rex Germaniæ & Othonis III. ſucceſſor in Imperio, tum in Synodo Francofurtenſi, tum in quouis alio Epiſcoporum conuentu, quoties alloqui eos vellet, toties ſe humi proſternebat, nec ſurgebat, niſi eleuaretur brachijs ſancti VVillegiſi Archiepiſcopi Moguntini, qui Synodo præerat. Robertus Francorum Rex memorabile obſequium Lamberto Epiſcopo Lingonienſi ſponte ſuâ exhibuit: nam cū is corporis mole grauis penderet pedibus è ſubſellio admodum elato, motus commiſeratione Rex, manibus propriis ſuppedaneū ad

Leo Caſtrius ex Cod vet. Ord. ſancti Benedicti.

ad pedes illius tulit. Sileo Clotharium Regem item Francorum, qui ad pedes ſancti Lupi Epiſcopi Senonenſis accidit ſupplex. Quæ vtique conſuetudo cùm tot maximorum Principum exemplis confirmetur, deberet Molinæus, ſi verè Chriſtianus eſt, dolere potiùs intermiſſam eam fuiſſe, quantum ad Epiſcopos attinet; non autem queri, hanc eamdem honoris magni prærogatiuam ſoli iam Romano Pontifici præſtari.

27. Ceterùm ſi adſcribere hoc ſuperbiæ adhuc nihilominùs velit, reſpondere poſſum, quòd aliquando Diogeni Plato reſpondit, dum is ſordidis pedibus eius puluillos elegantes protereret, dicens, Calco Platonis faſtum. reſpondit enim: *Calcas quidem, ſed maiore tamen faſtu.* Quid enim hominis eſt Molinæus, qui carpere audeat & criminari facta Summorum Pontificum, Cæſarum, Regum ac Principum; quæ ſunt ſcripta vtique in cælis, & conſignata omnium hiſtoriarum monumentis? Enimuerò tametſi ea ſuperbia eſſet, adhuc maiori ſuperbiâ id reprehenderet Molinæus: ſed genius nimirum hic eſt Caluiniſtarum, quem deſcribit graphicè Sereniſſimus Rex Iacobus. *Quid intereſt*, inquit, *glorioſi Nebuchadnezaris ſuperbia præpoſteræ Puritano-*

rum humilitati? qui dum paruitatem ſuam aſſerunt, & teſtantur in publico omnes homines eſſe vermes, Regibus tamen leges dare volunt, & à nemine accipere, à nemine redargui. Certè plus eſt ſub nigro huius pileo ſuperbiæ, quàm ſub Alexandri Macedonis diademate, vt de Diogene ſimili caſu dictum fuit. Sic ipſe Rex.

In Baſil. doro l. 2.

28. Intereà vel dum hoc pacto immurmurat Molinæus, & incaſsùm Romani Pontificis crepidas remordet, Ludouicus XIII. Rex Chriſtianiſſimus, vt dixi, honorificentiſſimam Legationem Viro Principi glorioſo & ſtrenuo demandauit: quam dum exponeret Regius Orator, ita de inclyto Rege ſuo hæreſum domitore locutus eſt: *Pedibus tuis Apoſtolicis prouolutus, eorum oſculo cultum & obedientiam ex animi ſententiâ tibi præſtat & exhibet.* Quin etiam Excellentiſſimus D. Comes Georgius Oſſolinius, Vladiſlai Regis Poloniæ Legatus, & tum ab hoc munere tum ab eloquentiâ præſtantiſſimus Orator, ita eſt auſpicatus Orationem ſuam: *Venit iterùm Romam Vladiſlaus, Pater Beatiſſime, & qui nuper Barbaricis ornatus laureis ad tuos pedes venerabundus iacuit, is hodiernâ die triplici cinctus diademate, ante hanc Apoſtolicam Sedem tuam, per me Oratorem ſuum ſupplex procum-*

cumbit. In progreſſu autem, *Quàm latè*, inquit, *à Carpathijs montibus ad Caſpium mare, à glaciali Oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id, genuflectente Vladiſlao, ante thronum tuum proſternitur, Pater Beatiſſime*. Item poſt Regni nobiliſſimi deſcriptionem, *Talis itaque*, inquit, *& tanta Polonia ad tuos pedes prona procumbit, Pater Beatiſſime: illud collum nullius vmquam iugũ ferre ſolitum, illas manus liberas, illum animum excelſum, & ad imperandum natum, Regis ſui exemplo, maiorum inſtituto, Tibi ſubmittit.*

29. Si hæc exempla defuiſſent, & à more tam laudato ac perueteri Europa vniuerſa deſciſceret; profectò ſurgerent, & venirent in Iudicium exteri Reges, & Chriſtiani recentes, intermiſſamque eiuſmodi obſeruantiam iure quàm optimo exprobrarent. Videlicet quando ad Gregorium XIII. inclytæ famæ Pontificem Legati ex Iaponiâ venerunt, is qui fungebatur Legatione Protaſij Regis Arimanorum, Epiſtolam dedit ita inſcriptam: *Reddatur Epiſtola Magno illi & ſancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem.* & ſubſcriptio eius erat: *Sanctitatis veſtræ ſubſternitur calceis Dominus Protaſius.* In ipſâ dein Epiſtolâ hæc legebantur: *Cùm Sanctitas veſtra Chriſtianorum*

gre-

gregem vniuerſum moderetur & paſcat, valdè mihi fuit optatum iſtuc venire, optauiq́ coràm humi ſtratus magna cum ſubmiſſione exhibere illi obedientiam, & poſt pedum oſcula Beatorum, eoſmet meo capiti ſuperponere.

30. Alter qui erat Legatus Franciſci Regis Bungi, Epiſtolam reddidit ita inſcriptã: *Adorando, & Cæli Regis locum in terris obtinenti, magno & ſanctiſſimo Papæ.* ſubſcriptam verò: *Sanctiſſimis pedibus Beatitudinis veſtræ ſubſtratus Franciſcus Bungi Rex.* Porrò in eâ, *Niſi me bella*, inquit, *ſenium & affecta valetudo impedirent, conferrem ipſe me ad viſenda & veneranda ſanctiſſima iſthæc loca: ac ſimul obedientiam exhibens, pedes veſtræ Sanctitatis, poſt pia ipſorum oſcula, capiti meo ſuperimponerem, & ſanctiſſimâ veſtrâ manu pectus meum ſigno Crucis muniendum curarem.*

31. Tertius Legatus Bartholomæi Principis Omuranorum Epiſtolam habuit, cuius inſcriptio erat: *Sublatis manibus adorans, offero hæc ſanctiſſimo Domino Papæ, magni Dei vices gerenti.* ſubſcriptio autem: *Ego Dominus Bartholomæus ſanctis eius pedibus humi ſubſtratus.* ac demum in Epiſtolâ ipsâ, *Æquum*, inquit, *ſanè fuerat, memet maria tranſmittere, ipſumq́ ad veſtram Sanctitatem venire, ſacroſq́ eius pedes, poſt pia illorum*

rum

rum oſcula, ſuper meum caput imponere. Reponere illud licet: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*. Vt abſoluam, conſultiùs multò Molinæus damnare atque execrari potuiſſet oſculum illud hircoſum, quod Candidæ ſuæ Beza promiſit; ac intereà permittere, vt pergant alij qui ducuntur ſpiritu Dei, pedes eiuſdem Dei in illius ſupremo Vicario piis oſculis venerari. Matth. 8.

CAPVT XXVI.

An rectè Molinæus queratur, volumen Scripturæ ſacræ Regibus negari.

1. NOs, inquit Molinæus, hoc infortunij habemus; quòd nimirum, ſicut Scriptura ſacra liber eſt qui ſubtrahitur & clauditur Regibus, ita in his quæ ſpectant ad libertatem immunitatemque Regnorum ſuorum nihil capiunt ijdem Reges, niſi per eos interpretes & Magiſtros, quos Papa per ventrem ſibi obſtrictos habet; hoc eſt, niſi fallor, per eos quibus tribuit prouentus magnos, atque opulenta Sacerdotia.

Nous auons ce malheur, que comme l'Eſcriture ſaincte eſt vn liure qu'on cache aux Roys; auſſi en ce qui concerne la liberté, & independance de leurs couronnes, ils n'en aprennent rien, que par ceux que le Pape tient liés par le ventre.

2. At

2. At ego alibi oſtendi, Miniſtros & Prædicantes potiùs ventre duci, ſicut oues & boues, & pecora campi: ad eos itaque ſpectat quidquid Molinæus iam exprobrat fidis Pontificis Romani adminiſtris. Falsò deinde aſſerit, Scripturam ſacram Regibus ſubtrahi, cùm ij maximè illam euoluere debeant, vt diſcant regnare ac iuſta decernere. Erit certè immortalis gloria Alphonſi X. Regis Caſtellæ, qui cognomento Sapiens appellabatur, quoniam, licet immenſis negotiis obrutus eſſet, decies & quater nihilominùs vniuerſa Biblia cum Commentariis peruoluit.

Trithem.
Genebr.
Spondan.

3. Olim autem noui Reges Hebræorum deſcribere ſibimet volumen Legis propterea iubebantur. Sed cauit Spiritus ſanctus tamen cæleſti conſilio, ne illud idem volumen Legis exſcribendum acciperent Reges ab aliis, quàm à Sacerdotibus Leuiticæ tribus; ita enim Moyſes præcepit: *Poſtquam ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq́ illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum.* Et fortaſſe apud Hebræos ideò ritus inaugurandi nouum Regem hic erat, vt in capite Regium diadema, volumen

Deut. 17.

Legis

Legis in manu eius collocaretur; cùm ijſq; poteſtatis ſimul & ſanctitatis inſignibus inungeretur, acclamareturque poſteà lætiſſimum illud, *Viuat Rex.*

4. En Molinæe, Spiritus ſanctus præuidit inducendas à Sectariis in ſacrum volumen innumeras & enormes corruptelas; & idcircò præcepit, vt Reges illud à Sacerdotibus legitimis acciperent. Legatur Geneua Plagiaria Petri Cottoni, & in comperto erit, quantâ & quàm ſacrilegâ temeritate ſoli Geneuenſes Verbum Dei ſcriptum adulterarint. Quòd ſi ei tamquam Ieſuitæ fidem negauerit Molinæus, etſi res ipſa loquitur; credet ſaltem Sereniſſimo Iacobo Regi Magnæ Britanniæ, qui affirmat, ſe non inueniſſe verſionem Scripturæ ſacræ deteriorem, quàm ſit Geneuenſis. In Colloq. de Hamptoncour.

5. Si deinde in codice ipſo vitia non forent, venenum ſaltem inueniretur in eius ſpuriâ explanatione; nàm, vt veriſſimè ſcripſit ſanctus Hieronymus, interpretatione peruersâ, de Euangelio Chriſti, hominis fit Euangelium; aut, quod peius eſt, diaboli. In Epiſt. 1. ad Gal.

CAPVT XXVII.

Refellitur obiter fabula Papiſſæ Joannæ.

1. ABſoluere hîc deberem cum Epiſtolâ Molinæi, niſi quòd ille Sedani coràm de Sede perforatâ ineptiſſimè garriuit, id à me iam deberet commemorari. Ab eâ nimirum auſpicatus pugnam, ſatis inſinuauit, maſculum robur à ſe fruſtrà exſpectari.

2. Conatus ſum eidem explicare, Romanum Pontificem ſimul Eccleſiæ vniuerſalis præſidem eſſe, ſimul eſſe Epiſcopum particularis Eccleſię Romanæ. Vti verò hanc alteram perſonam refert, poſſeſſionem Romani Epiſcopatus ab ipſo adiri in Lateranenſi Baſilicâ; in cuius porticu perantiquâ, etiam nunc hoc diſtichum inſcriptum eſt:

Dogmate Papali datur, ac ſimul Imperiali,
Quòd ſim cunctarum Mater caput Eccleſiarum.

3. Sed & adieci, nuſquam ibi perforatam ſedem ſpectari. Cùm verò Pontifex in Lateranum proficiſcitur, iam eſt inauguratus Papa Eccleſiæ vniuerſalis; hoc eſt, Vicarius Chriſti, & ſucceſſor Petri: nam hoc fit anteà in Vaticano, legitimâ Cardinaliū ſuf-

ſuffragatione pariter, atque eorum adoratione: ex quo apparet, quale ſit delirium, fingere, de vero Pontifice primùm in Laterano deliberari, explorando ſexum eius in ſede perforatâ, quam ibi eſſe adhuc Molinæus comminiſcitur.

4. Tum ipſe affirmauit, ſcire ſe meliùs cærimonias Romanas, quàm ego illas vmquam ſciuerim: proinde cùm ei locuturo aures ſecundas darem, narrare incepit, Pontificem ſtatim ab Electione ad Eccleſiam Lateranenſem ire, & habere obuios primùm Iudæos, promentes Moyſis Pentateuchum; Pontificem tamen ritus eorum contemnere, atque in eodem loco falſas aureas monetas diſtribuere, illudque profiteri, *Argentum & aurum non eſt mihi.* Dein Actor. 3.
Cardinalibus in Laterano erogare nummos aureos, atque vſurpare interim verba illa, *Diſperſit, dedit pauperibus.* Pſal. 111

4. Cùm verò permittat ſacram Hoſtiam aduehi equo, ex cuius collo crepitet tintinnabulum, dixit Molinæus eum in ſede ſublimi geſtari humeris Regum & Principum. Adhæc manus eum proluere, prægustante aquâ, metu veneni, eo qui ex gutto in polubrũ illam infundit. & tum adiecit, ad flagitium paratos in Italiâ nos nimiũ videri; deniq; in ſede perforatâ ſexum eius explorari.

5. Riſum ægrè ij, qui mecum aderant, tenuerunt, dum audirent magiſtrum tam peritum Romanarum cærimoniarum; nec fuit neceſſe omnia referre, quæ tunc fiunt in Vrbe, ſi vmquam aliàs, frequentiſſimâ, cùm exſtent in Codice impreſſa. Negaui dumtaxat, à Pontifice falſos nummos diſtribui, aut equo tunc aduehi ſacram Hoſtiam. Neque enim id fieri ſolet, niſi quando peregrè Romanus Pontifex proficiſcitur.

6. Fit autem, ne abſque Viatico cæleſti, aut ſine Hoſtiâ Summus Sacerdos viam ineat; ſed hæc potiùs eum, quemadmodum olim Arca Teſtamenti Iſraëlitas, antecedat; & fit quidem honorificentiſſimè, cum equitatu, cum aulâ & ſatellitio, vehiturque candido ac miti equo, cum tabernaculo aurato ſupra ephippium purpurâ & auro illuſum, ex cuius tabernaculi tholo tintinnabulum auditur, ac videtur perpetuò ſuggerere illud: *Hîc Deum adora.* Quid Molinæe in his reprehendas? Euchariſtiam in iumento ferri? Chriſtus in triumpho, ſedens ſupra pullum aſinæ Ieroſolymam intrauit.

Zachar. 9. Matth. 21. Luc. 19. Ioan. 12.

7. Quod ait deinde, Pontificem geſtari humeris Regum ac Principum, hoc pariter falſum eſt, vbi enim Romæ ſunt Reges, aut Principes magni, qui Regibus proximi ha-

habeantur? famulos fortaſſe, quos à pedibus habet Pontifex, & qui amicti togâ rubrâ talari eum in ſellâ circumferunt, credidit Molinæus eſſe Reges & Purpuratos.

8. Ceterùm haud nouum eſſe hoc decus Romani Pontificis, vel ex eo poteſt conijci, quòd Synodus Epiſcoporum, coacta ſeptimo ſæculo in Luſitaniâ, ſanxerit, ne procedentes in ſanctorum Martyrum celebritatibus Epiſcopi, ferenteſque à pectore ſuſpenſas eorum Reliquias, circumuehantur humeris Diaconorum in ſede geſtatoriâ: propterea quòd ferri à Diaconis ſuccollantibus videretur eſſe proprium ſolius Romani Pontificis, nec ſoleret id ab eo aliis concedi, præterquam interdum alicui ex Patriarchis; ſed ita tamen, vt infimi ordinis Clerici, aut certè laici, non autem Diaconi, ſellam geſtarent. Conſuetudinem hanc itaque retinet Romanus Pontifex, non ſine maiori adhuc moderatione; quia rarò & in magnis ſolemnitatibus, nec à Diaconis aut Clericis, ſed à laicis & famulis notæ ſecundariæ, vel infimæ, geſtatur. An. Chriſti 673.

9. Quòd item prægustari aqua ſoleat, dum Pontifex manus abluit, fit potiùs dignitatis quàm neceſſitatis causâ; quemadmodum prægustantur tum cibi Magnatum ac Regum in menſâ, tum in Miſſæ

Pontificiæ ſacrificio, ante oblationem, panis & vinum, quæ offeruntur. An verò eam nocendi occaſionem arripuerint aliquando viri conſcientiæ depoſitæ, & an certa ſit hiſtoria Henrici Imperatoris, ſeu veneni propinati in ablutione poſt Euchariſtiam in oppido Hetruriæ Bonconuento, alij definient. Referunt ſaltem annales Eccleſiaſtici, Victori II. paratum in Calice virus, dum ineunte Pontificatu Aris perlitaret, & miraculo rem patefactam, priuſquam fraus Pontifici noceret.

Naucl. Cuſpin. Spond.

10. Attamen, vt dixi, ſatis conſtat, Maieſtatis magis quàm neceſſitatis causâ eum morem inductum fuiſſe, alioquin mille nocendi artes ſunt, & ſuppetunt ſemper ſecreta nocendi conſilia, aduerſus quæ videatur inutilis induſtria omnis. Cleopatra nimirum Antonio metuenti gratificationem eius, nec niſi prægustatos cibos ſumenti, illuſit, extremis coronæ floribus veneno illitis. Mox enim procedente hilaritate, inuitauit Antonium vt coronas biberent; ſed incipienti haurire, nec ita inſidias timenti, oppoſitâ manu ſcyphum eripuit: deinde vni dedit mancipio è cuſtodiâ educto, qui bibere iuſſus, illicò exanimatus eſt. Cleopatrâ inſinuante, incaſsùm ab Antonio caueri venenum; quod ſi vellet, vel cum nouâ

Plinius lib. 21. c. 3.

illâ

illâ prægustantium diligentiâ, ei propinari potuiſſet.

11. Sed his prætermiſſis, præcipuè quod ſpectat ad ſedem perforatam, reſponderem equidem fuſiùs; niſi me actum agere, & operam ludere arbitrarer. Satis fuerit indicaſſe, Marianum Scotum, poſt annos ducentos & triginta, Papiſſæ Ioannæ opprobrium, quaſi ea ſucceſſiſſet Leoni IV. Sedi Romanæ affinxiſſe; cùm ante ipſum integris duobus ſæculis, Scriptores nulli, aut Religionis Catholicæ amici, deteſtando facinus, aut inimici illud exprobrando, de illâ meminerint: imò cùm Leo IX. Græcis, hoſtibus Eccleſiæ Romanæ, exprobrauerit, Patriarchas aliquoties Eunuchos, & vnam demum feminam, in ſede Conſtantinopolitanâ ſediſſe. Nec vnquam ſanè id commemoraſſet, ſi maiore infamiâ Romana Sedes habuiſſet Papiſſam Ioannam.

12. Quod ſupereſt itaque, ſuaderem potiùs Molinæo, vt in Caluini ſectâ introduceret vſum huius Sedis perforatæ; memor vtique, Regnum Angliæ Papiſſam noſtro æuo coluiſſe, hoc eſt Eliſabetham Reginam; quam Epiſcopi & Clerus vniuerſus, vti præſidem ſacrorum, agnouerunt; permiſeruntque collo muliebri caput Eccleſiæ agglutinari; neſcio maiore

dixerim opprobrio virorum, an delirio feminarum. Quod ſanè dedecus, quia ſcientes prudenteſque Sectarij admiſerunt, maiorem infamiam eis parit, vtpote in re compertâ; quàm non pepererit Eccleſiæ Romanæ res confiCta: etenim ex errore dumtaxat Papiſſam ea fingitur habuiſſe.

13. Si vellem ego magis veroſimilia iam promere, dicerem, ſuperiore anno ex Angliâ ſcriptum fuiſſe, vnum ex Prædicantibus, qui cùm eſſet hermaphroditus, diu vir & maritus fuerat, muliebria paſſum à proprio vernâ, & ex eo concepiſſe: tanto in luxuriam furore agebatur. In quam rem luſit ingeniosè, qui Epigramma de eo argumento ſcribens, Caluino gratulatus eſt propaginem tam fecundam; in cuius nempe ſectâ, quemadmodum ipſe loquebatur,

Vir mulierq; parit.

14. Sic Euangelij reformati miraculum fuerit, vnum miniſtrum Verbi repertum, qui ſimul & frater & ſoror, & mater & pater poſſet appellari. Hæc ſaltem referuntur fide maiori; cùm non petantur ab annis ducentis aut trecentis, ſed à paucis omnino menſibus, in quo temporis exiguo ſpatio eſt minor libertas fingendi mentiendique. Profectò ſi hæc vera hiſtoria eſt, Caluiniſtæ referent in anna-

les

les ſuos portentum luxuriæ, quale antehac numquam legimus; ſi figmentum eſt tamen, fabulâ fabulam refellere quis vetat?

15. Hæc ſcripſi aduerſus hæreſes, errores & calumnias Petri Molinæi, typis edenda; vt ei, aut ſaltem aliis, Catholicis præſertim, proſint. Parui verò diuo Auguſtino, qui optandum eſſe ait, vbi Hæreſes vigent, vt quicumque aliquâ ſcribendi facultate præditi ſunt, ij ſcribant omnes, etſi non modò de rebus ijſdem ſcripturi ſunt, ſed eadem etiam aliis verbis fortaſſe ſcripturi. 1. de Trinit. c. 3.

16. Quòd ſi ad iſta Molinæus, aut quiſquam alius reſpondere voluerit, hortor & moneo vt technas & ſubdolos circuitus, in quibus ſoli ambulant impij, deuitet; viâque rectâ in aciem veniat, & gradum gradu, pedem pede, vt aiunt, premat. Hoc eſt, aſſumat quæ dixi; expendat num aduerſarij dicteria, vel Hæreſes, iuxta veritatis normam confutauerim, an potiùs declinauerim ictû, diſſimulanterque alia tractauerim. Promiſi dum eram Sedani, me ſcripturum modeſtè ac pro veritate; nec vſurum oratione aculeatâ, quâ vti Molinæus potiſſimùm ſolet; ſtetiſſe me promiſſis, arbitror. Ceterùm paratus ſum & ego, pro veritatis defenſione, & pro nomine IESV contumeliam pati. Actor. 5.

INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM. *Prædicantium egeſtas & opprobrium, arguunt eos falſæ ac vaniſſimæ Religionis.* Pag. 2

CAP. II. *Oſtenditur, omnem huius noſtri æui hæreſim eſſe ſacrilegam nouitatem.* 12

CAP. III. *Expenditur an verum ſit, Sanctos recentes in Italiâ venerationem adimere Sanctis antiquioribus.* 32

CAP. IV. *An verè Molinæus dicat, Pontificem iactare, nouos fidei Articulos à ſe condi poſſe, & , ſe debere in terris vocari Deum.* 46

CAP. V. *Confutantur aliæ calumniæ Molinæi aduerſus opes Eccleſiæ Romanæ.* 53

CAP. VI. *An Pontifex mutauerit ſeras & portas regni cælorum.* 57

CAP. VII. *Confutantur aliæ calumniæ Molinæi, quibus præſertim ait Romæ omnia vendi.* 64

CAP. VIII. *An rectè Molinæus ſentiat de Hierarchiâ Eccleſiæ, & de ſtatu Religionis, hoc tempore, in Germaniâ & in Belgio.* 71

CAP. IX. *Refellitur calumnia Molinæi, quâ docere ait Ieſuitas, occidi poſſe Principes & Reges, & ex eorum Gymnaſijs plurimos parricidas prodijſſe.* 82

CAP. X. *Arguitur ſummæ impudentiæ Molinæus, oſtenditurq́, hæreticos potiùs docere,* occi-

occidi poſſe Principes & Reges. 99

CAP. XI. *An rectè Molinæus exprobret, Romæ manare ſimul exempla vitiorum & Fidei deciſiones.* 111

CAP. XII. *An rectè in vrbe Româ & Iudæi tolerentur & Hæretici comburantur.* 122

CAP. XIII. *An Molinæus rectè vitio vertat Pontifici, quòd Roma permittat meretrices.* 140

CAP. XIV. *Ineptè à Molinæo recenſentur publica pœnitentiæ inter abuſus Eccleſiæ Romanæ.* 154

CAP. XV. *An iuſtè Romanus Pontifex pro ſacerdotijs & pro diſpenſationibus admittat vel exigat iura conſueta.* 160

CAP. XVI. *Referuntur & confutantur aliquot alij errores Molinæi, tam circa Regulam fidei quàm circa Sanctorum Reliquias.* 164

CAP. XVII. *Aſſeritur vſus linguæ Latinæ in ſacrificio Miſſæ.* 177

CAP. XVIII. *Agitur breuiter de vſu Indulgentiarum, & de Purgatorio.* 181

CAP. XIX. *Quàm impudenter Molinæus loquatur de vſu piarum Peregrinationũ.* 184

CAP. XX. *An dignum ſit reprehenſione, pro remiſſione peccatorum aliquid offerre.* 188

CAP. XXI. *An Molinæus prouocet ſapienter ad Miſſalis rubricas circa vſum Euchariſtiæ in Miſſæ ſacrificio.* 190

Cap. xxii. *Satisfit breuiter Molinæi deſiderio, tam circa præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtiâ, quàm circa Primatum Petri in Pontificatu Romano.* 192

Cap. xxiii. *Expenduntur aliquæ ſententiæ Molinæi circa Regimen Politicum.* 206

Cap. xxiv. *Iniuſtiſſimè Molinæus ſuadet opes omnes Clero & Eccleſiæ auferendas, tollendamq́; eius immunitatem.* 210

Cap. xxv. *Aſſeritur conſuetudo antiquiſſima exoſculandi pedes Romanorum Pontificum.* 218

Cap. xxvi. *An rectè Molinæus queratur, volumen Scripturæ ſacræ Regibus negari.* 237

Cap. xxvii. *Refellitur obiter fabula Papiſſæ Ioannæ.* 240

SVM-

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *R. P. Silueſtri Petraſanctæ Romani Societatis* IESV *Theologi Notas in Epiſtolam Petri Molinæi ad Balzacum, cum Reſponſione ad hæreſes, errores & calumnias eius, ac Vindicijs Vrbis Romæ & Pontificatus Romani*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIII. Martij, anno M. DC. XXXIV.

Signat.

Steenhuyſe.

Digitized by Google

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIV.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google